

Series II. Sectio II. - «ANALECTA OSBM» - Vol. I (VII) - Fasc. 1
Серія II. Секція II. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Том I (VII) - Вип. 1

ANALECTA
ORDINIS S. BASILII MAGNI



ROMAE - 1949

SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI, 3
diasporiana.org.ua

« ANALECTA ORDINIS S. BASILII M. »

ROMA, PIAZZA MADONNA DEI MONTI 3

Prodeunt in praesenti ut opus imperiodicum, cura et studio PP. Basilianorum S.ti Josaphat, collaborantibus aliis viris studiis historiographicis occupatis. Quod opus, magni sane laboris et gravium hisce temporibus expensarum, optamus acceptum fieri praesertim apud externos omnes, qui orientalibus et slavicis rebus incumbunt. Singuli fasciculi Secundae Sectionis « *Analectorum OSBM* » constant ad minimum 160 paginis in 8°, quorum quattuor volumen efficiunt prodeuntque in lucem temporis intervallis non accuratius determinatis. Redactionem administrationemque quae spectant, dirigantur ad: « *ANALECTA OSBM* », Roma (103), Piazza della Madonna del Monti 3, Italia. Huc mittantur quoque omnes libri editionesque periodicae destinatae recensionis aut reciprocae commutationi (amplius hac de re vide: p. 161-162 huius fasciculi). Scripta admittuntur quacumque lingua europea exarata, praemisso in articulis majoribus brevi argumento in lingua latina.

„ЗАПИСКИ ЧИНА СВ. ВАСИЛІЯ В.”

Виходять неперіодично працею й засобами ОО. Василіян, за співучастю й інших вчених, своїх і чужих. Видання присвячене студіям з різних галузей історіознавства церковного та чернечого життя європейського Сходу. Кожний випуск обніматиме щонайменше 160 ст. друку. Чотирі випуски становитимуть один том, без огляду на час їхньої появи. В усіх редакційних та адміністративних справах треба писати на адресу: ЗАПИСКИ ЧСВВ — Рим (103), Пляца Мадонна делі Монті 3 — ІТАЛІЯ. На цю адресу треба рівнож присилати всі матеріали призначені до оцінки й друку. Технічні й фінансові обставини не дозволяють Редакції пересилати коректуру авторам поза межі Італії. Тому побажаним є надіслати рукописи до друку вповні викінчені, писані машинописом і на одній лише сторінці.

INDEX FASC. 1.

	pag.
<i>Lectori benevolo</i>	5
I. - ARTICULI:	
A. G. WELYKYJ OSBM, <i>Joannes Velamin Rutskyj in « exitu viarum »</i> (1603-1608)	9
Prof. G. PAPP, <i>I monaci dell'Ordine di San Basilio in Ungheria nel</i> <i>secolo XIII</i>	39
A. G. WELYKYJ OSBM, <i>Procuratores Negotiorum Ecclesiae Ruthenae</i> <i>in Urbe: I. Fuitne R. P. Joannes Gruzewski primus Procurator</i> <i>Ecclesiae Ruthenae in Urbe?</i>	57
II. <i>Primus Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe:</i> <i>P. Nicolaus Novak, 1626-1633</i>	62

Series II. - « ANALECTA OSBM » - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » Серія II.

Sectio II:

ARTICULI
DOCUMENTA COLLECTANEA
MISCELLANEA
BIBLIOGRAPHIA

Vol. I. - Fasc. 1

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

ROMAE

Series II. Sectio II. - «ANALECTA OSBM» - Vol. I (VII) - Fasc. 1
Серія II. Секція II. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Том I (VII) - Вип. 1

ANALECTA
ORDINIS S. BASILII MAGNI



ROMAE - 1949

SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI, 3

LECTORI BENEVOLO

Deo Omnipotenti et Misericordissimo benedicente id, quod forsitan non expectabatur — evenit: In lucem prodeunt « Analecta Ordinis S. Basilii Magni » in Serie nova, postquam illa « Analectorum OSBM » Series Prima Martis bellico concursu suum occasum sex ante annis habuit. Ecce ex ruina universali nova iam vita exsurgit! Exsurgunt etiam « Analecta OSBM », ut studia in rebus ecclesiasticis et monasticis Ecclesiae nostrae modo scientifico, etsi nondum periodico, promoveant, desiderante tota huius Ordinis et Ecclesiae communitate.

Sed nunc, lector benevole, Series Secunda apparet, ut mutationes quaedam necessariae et temporum contributum non parvum indicantur. Dura enim sunt nostra tempora pacis nec proin omnia, quae cupiunt ardenter hodierni eis etiam conceditur. Vita difficultatum oeconomicarum plena artis etiam typographicae sortem commutavit. Cum folia olim manu lenta scriptorum transcriberentur, hodie in Occidente latino copia « typorum » slavicornum sufficiens et manus eorum assuefacta desunt. Proinde lingua latina ut dehinc « Analectorum » Seriei Secundae officialis assumitur. Quae mutatio etiam ex parte textus valde suadenda est. Nam « documenta » potius Archivorum romanorum, res Basilianorum et Ecclesiae Ruthenae spectantia, edenda aggredimur. Alia ex parte et lectores « Analectorum OSBM » ordinarii — filii nempe Ordinis eiusdem — in varias Provincias nationum et linguarum subdividuntur, qui lectores una die etiam partem activam in ipsis « Analectis OSBM » conscribendis assumere debent. Proinde ut omnibus locus detur, lingua aliqua communiter in Ordine Basiliano cognita, proponitur; tamen libertas unicuique semper manet lingua eius, cuius filius est Ordinis Provinciae, materna uti, parvum argumentum in lingua latina praemittendo, exceptis rebus parvis et recensionebus, quae ultimae ad tempus in lingua ucraina vel latina praeferuntur.

Tota huius Novae Seriei editio tribus Sectionus constabit, quarum unaquaeque fasciculis separatis in publicum prodibit.

In Prima Sectione: « OPERA » — publicabuntur opera maiora Basilianorum vel saltem libri, qui de rebus nostrae Ecclesiae vel Ordinis tractant, qui — etiamsi ab externis conscripti — in Sectionem hanc per exceptionem admittentur.

Secunda Sectio — qua mediante « Analecta OSBM » Seriei Primae continuabuntur — partibus sequentibus constabit: « ARTICULI - DOCUMENTA COLLECTANEA - MISCELLANEA - BIBLIOGRAPHIA ». Patet hac in Sectione divisionem materiae esse traditionalem.

Sectionis praecedentis secunda pars, DOCUMENTA nempe, propter adiuncta huius Novae « Analectorum OSBM » Seriei specialia, Sectionem separatam, tertiam nempe, constituet: « DOCUMENTA ECCLESIAE RUTHENAE EX TABULARIIS ROMANIS DEPROMPTA ». Notandum ibi agi tantummodo de documentis maioris momenti et systematice ordinatis. In hac re initium a scripturis Metropolitanarum Kiopiensium Catholicorum Romam missis sumpsimus, quibus finitis, litterae Episcoporum Ruthenorum, Superiorum Basilianorum, monachorum simplicium nec non aliorum spiritualium et saecularium subsequuntur. Et, Deo adiuvante, hac parte epistolari absoluta, ad Acta Congregationum Romanarum earundemque Congregationum Decreta progressus fiet, quae in fine Brevibus, Decretis, Constitutionibusque nec non Summorum Pontificum litteris coronabuntur.

Si de casu in casum unum alterumve documentum separatum vel unicum occurret, in Secunda « Analectorum » Sectione ponetur (DOCUMENTA COLLECTANEA).

Hisce perfectis — opus pro historia Ecclesiae Ruthenae in genere et pro Ordine Basiliano in specie utile praestetur.

Utinam Deus editionem hanc, tempore difficillimo coeptam, adiuvet et benedicat et ad tempora laboribus scientificis feliciora perducatur.

Utinam et homines labore subsidioque necessario hoc Ecclesiae et Ordini nostro omnino necessarium opus liberaliter adiuvent. Non enim unius est hominis labor, sed omnium; proinde omnis manus nobis sponte porrecta, si infra fines praestabilitos versatur, a nobis cum gratitudine accipietur.

Speramus ante omnia filios Divi Basilii huic operi, tam in Ca-

*pite quam in membris, suam plenam approbationem praestatu-
ros et contributum suum pro viribus esse exsaluturos.*

*Qui vero extra claustra in historia ecclesiastica militant fini huic
arduo eiusque executioni, etsi in pluribus imperfectae, certe favo-
rem suum non denegabunt.*

*His praemissis, accipe, lector benevole, fasciculum Sectionis Se-
cundae primum. Accipe benigne, de nominibus auctorum — qui,
paucis exceptis, novi sunt — non curando. Hac in re consilium Aqi-
natis sequere: « Ne respicias a quo audias, sed quidquid boni di-
catur, memoriae recommenda ».*

*Ceterum vale, lector benevole, et fasciculum secundum eiusdem
Sectionis nec non aliarum Sectionum fascicula — quae iam typis
mandata sunt — in brevi expecta.*

« ANALECTORUM OSBM » MODERATOR

I. A R T I C U L I

A. G. WELYKYJ OSBM.

JOANNES VELAMIN RUTSKYJ IN « EXITU VIARUM » (1603 - 1608)

In vita Josephi Velamin Rutskyj, Metropolitae Kioviensis totiusque Russiae, periodus annorum 1603-1608 septennium eius vitae fundamentale dicendum est. Hac periodo vita Rutskyj directionem suam accepit, qua annis posterioribus tantum apud Ecclesiam Ruthenam saec. xvii valebat. Quae autem directio animi Rutskyj non fuit ei aliquomodo innata, vel educatione praecedenti imbuta; obligatus obedientia erga Summum Pontificem ad ritum Ruthenum, ipse iuvenis tricenarius viam sibi parare debuit, quod sine impedimentis externis magnaue pugna interna ei non successit. Sed in primis ut eius posteriorem in ordine Basiliano reformando activitatem intelligamus, periodum hanc accuratius examinare debemus. Nam hisce in annis Rutskyj, adhuc saecularis existens, suam theoriam de adiuvanda Ecclesia Ruthena ope Religionis Basilianae reformatae vel aliorum Ordinum occidentalium introductione elaboravit, quam vita sua monastica individuali nec non sua Metropolitana potestate exercere postea est conatus.

Litteratura respectiva cognita, constituendum est periodum hanc non esse satis inquisitam et opiniones invicem pugnare. En nostri articuli finis et justificatio.

★

Obligatus juramento ad ritum Ruthenum Joannes Velamin Rutskyj anno 1603 (post 15. II.) in Lithuaniam revertitur. Vilnam reversus sese Metropolitae Kioviensi Hypatio Potij praesentavit, incardinationem in archidioecesim expetendo. Sed intentionibus et aspirationibus eius Metropolitae a sua positione sese opposuit, bene cognoscens originem eius calvinicam eiusque ad ritum Ruthenum quasi compulsionem. Neque mirum est, Rutskyj ipsum in unica

biographia a suo successore Metropolitano R. Korsak emissa,¹ de hac periodo vitae suae ut valde amara commemorare.

Auctores, qui de hoc magno Metropolita scripserunt, innixi praesertim biographia Korsakiana, communiter affirmant juvenem de novo in dubia circa suam ad ritum Ruthenum obligationem incidisse et pro sua libertate multum laborasse; haec dubia usque ad eius in Religionem Basilianam ingressum (7. IX. 1607) extendisse dicitur. Certitudinem autem de hac materia neque hucusque obtineri potuit neque nos fortasse obtinebimus; agitur de internis eventibus animae humanae. Potest vero, ut nova documenta aliquam lucem clariorem dent. Et revera de hac materia inveniuntur documenta vere nova in Archivio Generali Ordinis Fratrum Carmelitarum Discealceatorum,² hucusque non considerata. Qui autem vitam Metropolitae Rutskyj etiam superficialiter cognoscit, bene scit qualis fuerit influxus Patrum dicti Ordinis ad vitam Metropolitae Rutskyj et in illa periodo et posteriori, cum magnus ille « Russiae Athanasius » opus arduum reformationis Ordinis Basiliani — aggredere; dici potest, relationes Metropolitae Rutskyj ad Carmelitas usque ad eius vitae finem semper vigentes permansisse; at initia vel potius profunditas illarum relationum in nostra periodo quaerenda sunt (1603-1608).

¹ Manuscriptum adhuc in fine saec. XIX conservabatur in Monast. PP. Basilian. Leopoli; ubi sit hodie nescimus; adest copia saec. XVIII (initio); de originali A. Guépin copiam fecit quae est hodie Parisiis in Bibl. Nation. Polonica. Auctores saepe de hac periodo vitae Rutskyj pauca tantum vel nulla dicunt. Ita ex. gr. in novissima Ecclesiae Russae historia (A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, p. 262) haec tantummodo habentur: « Per espresso desiderio di Clemente VIII, e contro ogni inclinazione, passò colà al « rito greco ». Prima ancora di essere ordinato prete fece ritorno in Polonia quale fiduciario della Curia Romana per gli affari della Chiesa unita, al seguito di una ambasceria papale. Anche costì li riuscì difficile superare la propria ripugnanza per la « Chiesa greca ». Espone il suo pensiero in un suo memoriale sulla riforma della medesima. Infine cercò persino di sottrarsi a quello che sempre più gli appariva il compito della sua vita mediante la fuga in Russia e in Persia. Ma invano; da Mosca dovette ritornare a Vilno (p. 262). Ut videtur, auctorem habuisse de hac periodo tantummodo valde imperfectas notitias et confundere ibi primum reditum Rutskyj Roma (1603) cum secundo (post 11.XI.1606). Alii de hac periodo adhuc imperfectius scribunt. Satis bene scribebat iam anno 1909 prof. P. ZUKOVIC (*Zizneopisanije mitr. Josifa Vejlamina Rutskaho, sostavlennoe mitr. Rafailom Korsakom...*, in « Christianskoe Ctenije », (1909, p. 1094-5) « Periodus initialis vitae ecclesiasticae publicae Rutskyj (usque ad an. 1608) in genere parum nota est (ex aliis fontibus). Vita Rutscii (R. Korsak auctore) de hac periodo septem capitibus tractat (XI-XVII), ex quibus elucet, periodum hanc in vita Rutskyj fuisse plenam dubii et fluctuationum inter ritum Ecclesiae Unitae et Romanae, plenam indeterminationis circa statum suae mentis et instabilem in suis intentionibus et decisionibus usque ad omnimodam contradictorietatem... ». Contra has et similes sententias, nos in luce novorum documentorum, ostendere contendemus periodum hanc non ita contradictorietatibus plenam fuisse.

² ARCH. GEN. ORD. C. D., invenitur Romae, Corso d'Italia 38.

Audiamus linguam documentorum. In Tabulario Collegii Graecorum in Urbe duae inveniuntur notitiae circa activitatem Joannis Rutskyj post eius e Collegio discessu. Prima relatio de eius in Russia (potius Lithuania) activitate facta fuit jam tempore eius Archimandritatus in Monasterio SS. Trinitatis, Vilnae (1609-1611). Ex aliquo fonte ignoto chronista Collegii haec notavit: « essendo andato alla Patria, dove con grandissimo zelo e vita esemplare cominciò ad insegnare e predicare la dottrina cattolica disputando continuamente con i Rutheni scismatici e defendendo l'autorità del Pontefice; poi... maggiormente per il frutto... facendo ricevette l'habito angelico di San Basilio, havendo tirato col suo esempio seco molti de altri nella Religione; al presente si trova in Vilna nel Monasterio della SS. Trinità essendo Abbate di detto Monastero... ».³ Ita secundum aliquam relationem immediatam et recenter ex Russia acceptam; probabiliter fuit Petrus Arcudius anno 1609 a Metropoli Hypatio Romam « ad limina » et negotia Ecclesiae Ruthenae tractanda missus, qui de his rebus in Collegio Graecorum narravit; fuit et ipse dicti Collegii eximius Alumnus.⁴ In alia « vita » Joannis Rutskyj, conservata in dicto jam Tabulario Collegii,⁵ de Rutskyj ante eius in Religionem Basilianam ingressum hoc modo narratur: « Scholam saecularibus ad Monasterium SS. Trinitatis Vilnae unitum sed desolatissimum instituit atque collectis pueris Ruthenis magistrum ab ipsis rudimentis solus egit, cum magno omnium, qui ipsum norunt senatorum ac Regni gravissimorum stupore, consanguineorum nobilissimorum abiuratione, sacerdotum utriusque Ritus aedificatione, conversis redditibus patrimonii sui iuvenes, quos docebat, alebat, et vestiebat atque domo ad hoc enim opus emptā excipiebat, ex quibus postmodum aliqui Religionem ingressi sunt maximo suo et aliorum emolumento. Hoc tam insigni praestito opere, adeo sibi apud Ruthenos magnum comparuit affectum, ut etiam ad fidem convertebantur » (ib.).⁶

Videmus, notitias has ad nostram periodum vitae Rutskyj referri posse; praeterea videmus nullam esse factam in his documentis mentionem de ullo dubio aut conatu, ut ritui Rutheno valediceret, quod certe Graeci Romae existentes non notare non potuerunt. E contra, videtur, Rutskyj omnibus viribus esse conatus, positionem Metropolitae populi expectantem in suum favorem mutare, quod revera ei plene successit, ut notitia supra citata refert. Qua ex eadem notitia intelligimus etiam laborem hunc fuisse revera mere externum eiusque spiritum asceticum, etiam in hac periodo manifestatum, non potuisse plene satiare vel quietare.

³ ARCH. COLL. GRAECI, vol. I, *Cronica...*, fol. 38-39.

⁴ ASV, *Fondo Borghese*, Ser. II, 75, fol. 62-68.

⁵ ARCH. COLL. GRAECI IN URBE, vol. I: *Cronica...*, vol. 202 etc.

⁶ Est fortasse illa « vita » donata a Polono Ossolinski Papae Innocentio XI, cfr. A. GUÉPIN, *Saint Josaphat*, I, 33.; HALUSCYNKYJ, in « Dobr. Past. », 1937, p. 255.

Jam tunc Rutskyj cogitat de modo, ut tam vitam suam individualement, quam etiam suam activitatem in Ecclesia Ruthena magis profundam redderet. Erant pro eius aetate et positione in Ecclesia Ruthena cogitationes vere graves, quae mentem eius hoc tempore occupatam tenebant, «de corrigendo Regimine in ritu Graeco», nec non «de adjuvandis Ruthenis» simpliciter.⁷ Videntur, quomodo Rutskyj ad tales cogitationes inductus sit.

*

Nescimus qualis fuerit ad Carmelitas Discalceatos relatio Joannis Rutskyj Romae morantis in Collegio Graeco; videntur autem iam tunc temporis relationes tam personales et intimae ad Patres dicti Ordinis exstitisse.⁸ Pro certo affirmari potest eum regulam dicti Ordinis bene cognovisse; nam erat Ordo, qui cum Societate Jesu, quam ex immediato contactu cognoscebat, pugnabat, ut in possessionem eius veniret; quod vero sine bona cognitione fieri non potuit. Etiam post eius in patriam discessu, relationes hae, saltem via epistolari vivae remanserunt, etsi Religio haec in Polonia anno 1604 nondum formata fuit. Ideo, quando anno 1604 venit in Poloniam P. Paulus Simon a Jesu,⁹ Carmelitanus, qui munere legati apostolici fungens in Persiam proficiscebatur (25, VIII, Cracoviam venit) et iter per Moschoviam faciens retardatusque formalitatibus ingressum in Moschoviam impredientibus, in Polonia morabatur, contactus Joannis Rutskyj personalis cum Carmelitis revivixit, immo accepit formas concretas sub medietate anni 1604.

In medio suarum occupationum externarum, anima eius clamat pro sua parte; hoc tempore videtur eius desiderium, ut aliquam Religionem intraret, reviviscere; ideo Rutskyj fecit propositionem Ordini Carmelitano, ut domum suam in Lithuania fundaret, in propriis eius possessionibus.¹⁰ Ex deficientia autem Patrum, qui linguam Ruthenam aut Polonicam cognoscerent, Rutskyj hoc contentus se fore declarat, ut saltem Patres ex Italia vel Hispania adveniant. Non habemus documentum originale huius petitionis ad Superiores dicti Ordinis, ubi negotium totum explicite proponebatur; datur tantummodo recommendatio Patris Pauli Simonis e Cracovia scripta die 1. septembris 1604, ubi dicitur: «Il Signor Giovanni Rutheno si contenta de Frati Italiani o Spagnoli, non po-

⁷ Cfr. A. GUÉPIN, *op. cit.* I, 54, adn. 1; T. HALUSCYNKYJ, *op. cit.* p. 260, adn. 7; Cfr. notam 44-am nostri articuli, ubi fusius hac de re.

⁸ ARCH. COLL. GR., vol. I, fol. 354-355, ubi laudat Korsak et Podbereski, quod «Rev.mo P. Paulo Carmelitae uniti estis... est magnus servus Dei, ut vos tales efficiat».

⁹ Circa P. Paulum Simonem a Jesu, vide: Bibl. Carmel. t. II, 534. Fuit in Persia, fundavit Convent. in Ispahan (1607), reversus, postea electus ter Sup. Gen. Ordinis; mortuus anno 1643.

¹⁰ Comparanda est chronologia: 25.VIII.1604, Carmelitani veniunt Cracoviam, et jam die 1.IX.1604 P. Paulus Simon scribit in hoc negotio Romam; videtur Rutskyj fuisse tunc temporis Cracoviae.

tendo haverli i che sappino la lingua. Il luogo di ritirarsi non li mancherà (vi sono molte selve in Lituania), perchè egli è ricco, et ha terre sue; oltre che il Signor Cancelliero di Lituania li ha promesso un luogo. Quello che dimanda è giusto, da molto frutto, et di non meno consideratione il prolungare l'esecutione ».¹¹

Ex hac recommendatione apparet hac in materia iam aliquas propositiones et responsiones factas fuisse. Agebatur de fundatione monasterii Carmelitani in Lituania; videtur, Rutskyj se ipsum ex hoc monasterio non exclusisse; nihil etiam dicitur de ritu huius monasterii; sed commemoratur, etiam Cancellarium Magni Ducatus Lithuaniae huic fundationi auxilium praestare paratum fuisse. Revera nobis etiam est cogitandum quasi naturaliter de hoc auxilio et concursu, si legimus Breve Pauli V, dicto Cancellario Lithuaniae datum (quarto Idus decembr. 1605), ubi Papa eiusdem Cancellarii « pia opera » hoc modo extollit: « Interea hanc tuam egregiam pietatem laudamus, quam etiam elucere in aliis piis operibus ad gloriam Dei et ad religionis Catholicae incrementum intelligimus. Si quidem renuntiatum nobis est, quanta liberalitate atque religione templa Deo ornaveris, monasteria ad piorum hominum et sacrarum virginum commoditatem amplis proventibus ditaveris, et quam splendidum exemplum christianae virtutis caeteris tui ordinis praeclarissimis viris semper exhibueris ».¹² De illa « liberalitate » Cancellarii Lithuaniae Curia Romana instructa fuit litteris Metropolitanae Russiae nec non a Petro Carmelitano, qui Romae res Ecclesiae Ruthenae procurabat. Commemorare debemus hic etiam, quod ad hunc ipsum P. Petrum, etiam P. Paulus Simon, Carmelita, in Persiam missus, e Cracovia litteras dedit, ubi de « pio desiderio » Joannis Rutskyj agebat (cfr. supra). Has personas et res simul considerandas esse patet ex responsione Pauli V, data Metropolitanae Russiae (quarto Idus decembr. 1605), quae hoc modo sonat: « Dilectum filium religiosum virum Petrum Carmelitanum de rebus tuis agentem perhumaniter audiemus, sicuti a nobis petis. Nobili viro Lithuano Cancellario diligenter significavimus quantum a nobis inierit gratiam ob collata in te beneficia et ecclesiastica iura in tua causa defensa. Plane viri praeclarissimi religiosum affectum probamus, ipsumque summa in Domino charitate prosequimur ».¹³ Ex hac ergo parte, videtur, rem nullam habere difficultatem, etiamsi non cognoscimus adhuc textus harum petractionum.

*

Nunc oritur quaestio de iuramento Rutskyj et de positione Metropolitanae Kioviensis. Fuitne totum hoc negotium tractatum sine

¹¹ ARCH. GEN. O. C. D., Plut. 345, seg. e: *Lettere di P. Paulus Simon*; sine numeratione.

¹² THEINER, *Monum. Pol. et Lithuaniae*, III, p. 289, Nr. 232 b; Cancellarius M. D. Lithuaniae fuit hoc tempore Leo Sapieha.

¹³ ASV, *Reg. Brev.*, An. I: Paulus V, ep. 375 et 376; cfr. THEINER, III, 288-9, Nr. 232.

scitu Metropolitae Hypatii? Mea quidem sententia, quae nititur documentis supracitatis, responsio ad hanc quaestionem debet esse negativa.

Anno 1605, mense aprili et maio, Romae, Capitulum Generale Carmelitanorum celebratum fuit; in illo Capitulo P. Petrus a Matre Dei,¹⁴ (idem Petrus Carmelit. de quo Paulus V ad Hypatium) qui fuit totius Capituli anima (ut commissarius Generalis totius Ordinis), litteras a Metropolita Russiae accepit, quibus Metropolita auxilium Ordinis Carmelitani ad Unionem Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesia Romana firmandam et ampliandam expetebat. Sed, pro dolor, non habetur documentum ipsius Metropolitae petitionis; inde non habemus etiam bonam ideam de modo, quo hoc auxilium praestari petebatur. Dantur tantummodo breves relationes in actis Capituli dicti Ordinis, ubi in capite, ubi de missionibus tractatur, dicitur: « 2. Accepit P. Petrus ab Ecclesiae Ruthenae Metropolita litteras, quibus Congregationis auxilium implorabat, ut Ecclesiae Romanae suam foederatam efficeret, quibus in consilio perlectis, mira concordia responsum est, Fratres nostros quantocius destinandos, ut pio voto Metropolitae iuvarent. Polonica quippe missio ad Ruthenos adiuvandos opportunissima visa est ».¹⁵ In « Annalibus Carmelitanorum »¹⁶ sub anno 1605, mense maio, stat huiusmodi narratio de dicto Capitulo Generali Ordinis, eius nempe sessione quinta: « In sessione quinta ipsa quoque die 5 maji celebrata publice perlectae fuerunt litterae ad Capitulum Generale directae a Vicario Metropolitae Ruthenorum, quibus nomine populi illius, conversatione exemplari nostrorum Missionariorum anno praecedenti illic transeuntium et aliquamdiu ibi commorantium incensi, aliquos ex nostra Familia instanter petebat illuc destinari pro plena instructione et conversione illius gentis. Ad quos omnium consensu responsum fuit: Placuit pium eius propositum, se operam daturus, ut quamprimum e venia Summi Pontificis licuerit aliqui ex nostris in dictum finem eo amandentur. Quemadmodum factum fuisse inferius dicitur ».¹⁷

Ex hisce tribus notitiis sequitur quaestio de mutua relatione vel dependentia inter utramque notitiam provenientem e triplici fonte. Mea sententia inter utramque notitiam, et per has expressas realitates, existit ordo certus dependentiae, et quidem ex parte initiativae et consensus. Mihi videtur, « iniciativam » hac in re pertinere

¹⁴ PETRUS A MATRE DEI, Hispanus, Praep. Gen. II, elect. 26.IV.1608. mortuus 26.8.1608.

¹⁵ ARCH. GEN. O. C. D., Plut. 234, segm. c, *Missiones: Persia e Mesopotamia*, P. Joannes Thaddaeus: Relatio de missione persica; fasc. ultimum, non est numeratum.

¹⁶ *Annales Theresiano-Elianae Carmelitarum discalceatorum... Congregationis Italicae...* tom. I. Ab anno D. 1600... ad an. 1617, auctore P. SIMONE A SS. TRINITATE, prov. Austriae; in Archivio Generali Carm. disc., Plut. mortuus 26.8.1608.

¹⁷ *Annales Carmelitanorum*, vol. I, p. 143-144; Nr. 29.

ad Joannem Rutskyj, « Vicarium Metropolitae », ut dicitur in Annalibus, qui Metropolitae hanc ideam eiusque executionis modum et formam proposuit, quacum Metropolitae consentiebat et sua ex parte litteras ad Superiores Ordinis Carmelitani scripsit. Nunc alia quaestio: quale debuit esse hoc auxilium a Metropolitae desideratum, ut ipse auxilio huic suum consensum dare posset? Et ibi stat cardo totius quaestionis, etiam circa « desiderium » Rutskyj. Revera, secundum meam convictionem, illud auxilium nullomodo ab aliquibus Religiosis ritus latini expeti potuit, si jam ipsa Joannis Rutskyj ad ritum Ruthenum difficultas erat causa sufficiens, ut ei primis annis a Metropolitae incardinatio in suam dioecesim denegaretur. Quid ergo dicendum de toto coetu hominum a ritu Rutheno omnino alienorum!

*

Si ergo negotium auxilii huius a Carmelitis expetendi in aliqua conventione, cuius Metropolitae — Paulus Simon — Rutskyj — et fortasse Cancellarius Lithuaniae participes erant, discutiebatur, de fundatione alicuius monasterii Carmelitani ritus latini missionibus populi Rutheni destinati sermo non esse potuit. Inde eligenda est nobis opinio opposita, illa nempe, quod Rutskyj jam anno 1604 de fundatione alicuius Provinciae Ruthenae Ordinis Carmelitani cogitabat, quod intentum suum Metropolitae proposuit, qui sua e parte consensum Ordinis Carmelitanorum obtinuit; et si de facto deerant in ordine Carmelitano tunc temporis homines, qui linguae Ruthenae vel saltem Polonicae scientes erant, tamen intendebatur eundem finem cum Patribus Italiae vel Hispaniae assequi; praeparatio debuit habere locum « in selvis Lituaniae », ubi Rutskyj proponebat « ritirarsi » cum his Patribus, ut addicerent linguam et ritum Ruthenum; sine hisce duobus conditionibus — lingua et ritus Ruthenus — illud effatum P. Pauli Simonis (et consequenter etiam aliorum): « quello che dimanda è giusto, da molto fruttato », ¹⁸ erat res impossibilis, erat « utopia », abstracta a circumstantiis Ecclesiae Ruthenae. Si Rutskyj tali « utopiae » indulgebat, tunc saltem Metropolitae tali propositioni suam approbationem dare non potuit.

Etiam ex altera parte — Patre Paulo Simone — commemoratur in fine notitiae jam citatae, quod desiderium Joannis Rutskyj capiet non solum magnos fructus, sed haec prolongata exsecutio propositi erit causa non minorum etiam considerationum (ib.); ergo secundum opinionem P. Pauli agitur de aliqua re insolita, certe non de aliqua simplici fundatione alicuius conventus in Lithuania. Ex parte vero Capituli Generalis agitur etiam de « missione Polonica ad adiuvandos Ruthenos opportunissima », ¹⁹ quod certe de missione

¹⁸ ARCH. GEN. O. C. D., Plut. 345, segm. e, *Lettere di Paolo Simon*.

¹⁹ ARCH. GEN. O. C. D., Plut. 234, segm. c, *Missiones: Persia e Mesopotamia*.

in ritu latino dici non potest. Solummodo missio in ritu Rutheno erat tunc temporis « opportunissima »; de omni alia missione dici debet ut de « inopportuna », saltem in his S. Unionis initiis, quando Schismatici de omni auxilio ab Occidente praestito ut de « latinizatione » exclamabant.

*

De facto dicendum tamen, ex hac decisione Capituli Generalis anni 1605 Provinciam Polonam dicti Ordinis suum initium habuisse, nam Patres Poloniam missi, et quidem iam anno 1605, in Lithuaniam non pervenerunt, sed Cracoviae fundamenta primi conventus Carmelitani in Polonia iecerunt (28.VI.1605), quem anno 1610 conventus Lublinensis secutus est.²⁰ Inde neque « desiderio » Rutskyj, neque « pio voto » Metropolitae satisfactum fuit, et quidem non solum tunc, in initio (nam J. Rutskyj jam 30.XI.1605 Moscoviae fines ingressus est, cfr. Annal. Carmel. I. p. 166, Nr. 107), sed etiam postea, quando Rutskyj, iam Metropolita totius Russiae, Carmelitanos ad adiuvandam reformationem Basilianorum invitabat. Postea vero impedimento semper fuit ipsa ista anno 1605 fundata Provincia Polona dicti Ordinis, quae semper recusabat, ne mitteret Patres suae Provinciae ad adiuvandam reformationem Basilianam a Velamin Rutskyj feliciter inchoatam; et id factum fuit etiam contra decreta S. Sedis et decisiones Definitorii Generalis Ordinis Carmelitani. Hac de re habetur casus classicus cum Patre Andrea a Jesu (Brzechwa), primo Carmelitano Polono, qui paratus erat Basilianos Ruthenos, suscepto habitu et ritu Rutheno, adiuvare; tamen « Patres Provinciae ipsius aegre admodum valetudini consolentes, multis modis ab hac missione Patrem Andream avertere conati sunt, ut eorum precibus acquiescere debuerit ».²¹ Et ita ille idem Rutskyj, jam Metropolita Russiae, iuste conqueri potuit ad suos Alumnos in Urbe scribens: « Hoc quod concessum erat cum magna charitate illorum Sanctorum Patrum et Summo Pontifice approbatum effectum non habuit ».²²

In epistola ad Alumnos, supra citata, anni 1623 Rutskyj etiam de hoc primo insuccessu anni 1605-06, adducendo varias causas, hoc modo scribit: « primo: expectabantur aliqui Poloni, qui venirent ad Religionem; praeter unum Patrem Brechuam nullus hic erat, et tales qui non callent linguam non videntur admittendi; secundo: mors illius sanctissimi Patris Petri a Matre Dei (1608), qui erat a confessionibus Pauli quinti, impedivit; tandem turbationes, quas excitaverunt nobis schismatici » (ib.). Ecce illae causae, quae

²⁰ P. BERTHOLD, IGNACE DE SAINTE ANNE, O. C. D., *Histoire de l'établissement de la Mission de Perse*, Bruxelles-Paris, 1885, p. 112-113.

²¹ ARCH. GEN. O. C. D., *Fasciculus annorum Provinciae Spiritus S. Carm. D. in Regno Poloniae*, Collectus ex Archivii Provinciae, ac certis Relationibus, n. 50.

²² ARCH. COLL. GR., vol. I, *Chronica...*, p. 354-355; epist. de data 29. II. 1623.

propositum Joannis Rutskyj impediverunt; prima earum: deficientia subiectorum, qui linguae scientes erant; proinde dicendum: si lingua non impediēbat, ne Provincia Polona iam anno 1605 formēretur, cur erat illa lingua impedimento Unioni Ruthenae adiuvandae? Quia cum lingua simul agebatur etiam de ritu Rutheno, qui a Patribus Italiae vel Hispaniae obtineri non potuit. Inde dictum fuit Joanni Rutskyj « Vicario Metropolitae », ut expectaret adventum Polonorum in Ordinem Carmelitarum. Et revera Joannes Rutskyj expectabat, donec postea, jam Metropolitā Iosephus, hoc negotio recordatus est, tamen sine ullo effectu.

*

Sed anno 1605, Rutskyj, adhuc juvenis et saecularis, diu expectare non potuit; eius nempe res agebatur. Ideo cum tandem formalitates itineris, a Patre Paulo Simon in Persiam per Moschoviam faciendi, ordinatae fuerunt, Rutskyj eiusdem Patris sociis sese adiunxit, ut iter hoc una cum eo faceret, stupentibus omnibus suis amicis et familiaribus, immo ipsis officialibus Regni, qui ei licentiam illius itineris libere faciendi dabant.²³

Etsi nihil certi habemus de motivis eius in Persiam, vel potius Moscuam itineris, tamen factum remanet, eum die 30. Novembris anni 1605 Moscuam profectum esse. Non excludentes possibilitatem intentionis Rutskyj, ut hoc modo Ecclesiae et Ritui Rutheno sese subtraheret, quod (propter modum eius in Vilna laboris) nostra sententia est minus probabile, tamen eam voluntatem probabiliorem esse putamus, ut Moscuam et Demetrium usurpatorem videret et fortasse possibilitatem consideraret Moschoviam ad Unionem cum Ecclesia Romana perducendi.²⁴ Nam, si consideramus totum hoc negotium falsi Demetrii, quod omnem fere Europam suo tempore commovit, nec non Apostolicam Sedem, altera ex parte vero juvenem Rutskyj, Alumnum Collegii Pontificii ad opus missionarium destinatum et iuramento obligatum, tunc inconsuetum nobis non esse videtur, si data occasione, legatione nempe Comitissae Alexandri Rangone (nomine S. Sedis), ille testis et spectator huius totius negotii fuisse voluit. Nam postea videbimus, hunc finem eius cogitationibus in Lithuania et postea in ipsa Moscovia habitis magis correspondere.

Cur non possumus admittere, eum secutum fuisse Legatum Apostolicum — Alexandrum Rangone — non vero PP. Carmelitanos, qui item in comitatu dicti Legati iter faciebant? Et ex altera parte non potuit ille aliqua missione pro metropolitā Kioviensi — Hypatio — fungi? Metropolitae certe intererat, quae in Moscovia evenirent. Fuisset proinde valde mirum si Metropolitā Hypatius, qui

²³ R. KORSÁK, *Vita Rutsckii*, cap. XII. Magnus Cancell. fuit Leo Sapieha.
²⁴ Cfr., T. HALUSCYNISKYJ, *Metr. J. V. Rutskyj*, in « Dobryj Pastyr », 1937, p. 261.

Ecclesiam Ruthenam ad S. Sedem anno 1595 adduxit, etiam nunc ne informationes quidem habere voluisset de eventibus Moscensibus, et talem occasionem praeterire passus esset, malum schismatis in suis radicibus — Moscuae scilicet — evellendi, et Moscoviam ad S. Unionem adducendi. Et quisnam fuit Vilnae ad hunc finem aptissimus, nisi Joannes Rutskyj? Ex tenore sermonum et actionum Moscuae habitarum talis conclusio omnino probabilis evadit.

Etiam hoc considerare debemus, quod difficile admittendum videtur, P. Paulum Simon, qui obligationem Rutskyj ad ritum Ruthenum certe cognoscebat, eum secum in Persiam portare voluisse ei promissiones aliquas de admissione in Ordinem Carmelitanum faciendo. Proinde talis finis admittendus est, qui neque conscientiae Rutskyj neque conscientiae P. Pauli iniuriosus est.

Iter tempore hiemali inceptum (30.XI.1605) et perfectum, Patri Paulo certe difficile erat; Inde et auxilium ei a Joanne Rutskyj in hoc itinere praestatum vere pretiosum haberi debet. Revera in sua relatione e Moscua data, die 15. martii 1606, P. Paulus Simon scribit de hoc auxilio: « mi ha consolato in questo viaggio con le sue virtù, e la bonissima natura, humile, modesto, obedientissimo, penitente e sano; non dubito che piacerà a V. R-a. ».²⁵

*

Audiat pro illustratione horum eventuum testimonium « Annalium Carmelitanorum », quod fontibus scriptis fundatur. Compilator horum Annalium his verbis prosequitur narrans de legatione persica Carmelitanorum anno 1605: « Igitur ad diem 30 novembris Poloniae fines praetergressi, Moschorum terras feliciter ingressi PP. nostri Missionarii et obviam procedente Gubernatore urbis Smolensco cum maxima reverentia et honore singulari excepti, et ad eandem urbem deducti, atque in ea sumptuose hospitati, totoque quo illic remansere tempore, eodem prorsus modo honorifico atque magnifico semper habiti fuerunt. Haec venerationis ac benevolentiae argumenta Missionariis nostris exhibita, non alteri quam pietati Demetrii veniunt attribuenda... Quoniam vero decreta fuerunt quaedam contra aequissimum ac piissimum Demetrium, ab extincti tyranni asseclis machinata coniuratio, eo nuntio perterritus Legatus Pontificius, Moscuam cum Patribus nostris petere veritus est. Misso proinde cum ipsis uno de suis domesticis, qui rerum Moscoviticarum statum, ac Demetrii animum posset renuntiare, ad Poloniae Moscoviaeque fines interim substitit. Sed et nostri eadem de causa per mensem integrum moras in supradicta urbe Smolensko trahere coacti, festa Natalicia ibidem concelebrarunt anumque praesentem vel inviti terminarunt ».²⁶ Et porro: « Concelebratis in urbe Smolensko Natalitiis festis, ut anno superiori no-

²⁵ ARCH. GEN. O. C. D., Plut. 235, segm. i, *Missiones: Persia: Relations et litterae* P. Pauli Simon ex itinere in Persiam (sine numer).

²⁶ *Annales Carmelitarum disc.*, an. 1605, p. 166, n. 107.

tavimus, a missionariis nostris, ad initium anni praesentis (1606, AW) inde excedentes, confecto secure itinere interiecto, Moscuam tandem ad amnem Moscum (a quo nomen deducit) constructam feliciter pervenerunt, et a Magno Duce Demetrio perhumaniter excepti sunt. Is enim summo gaudio delibutus est non solum ob adventum comitis Rangonii, Apostolicae Sedis ad se Legati, de quo a Patribus nostris fuerat admonitus, quemque dato mox ordine ad Regiam suam honorifice curavit deduci, verum etiam Religiosorum nostrorum, quos apud se retinere et sua in ditione stabilire impensius peroptabat». ²⁷

Raphaël Korsak in biographia Josephi Rutskyj scribit, nostros peregrinantes venisse Moscuam initio quadragesimae, anni 1606 secundum nostram certam persuasionem, et fuisse in suo itinere impeditos ex parte gubernii usque ad noctem resurrectionis (Paschatis) eiusdem anni, qua nocte eis praeceptum fuit, ut iter suum statim sine mora continuarent, quod et factum fuit. Sed postquam per totam noctem et diem sequentem in itinere fuerunt, miro tamen aliquo modo iterum Moscuam venerunt, ubi Rutskyj a P. Paulo coactus fuit in Lithuaniam se recipere, quia pro itinere suo novus Jona esset. Secundum relationem Korsak Joannes Rutskyj hac de causa postea semper de « irreligiosis Mochis » conquerebatur. Haec Korsak; quae narratio postea ab aliis scriptoribus sine ulla dubitatione repetitur. ²⁸

Adsunt tamen rationes, quae dubium suadent quoad hanc narrationem Korsakianam. Ita, ut ad veritatem propius accedamus, audiantur etiam narrationes « Annalium Carmelitanorum », ubi de ultimo periodo commorationis Moscuensis his verbis narratur: « Interea dum missionarii nostri in praedicta civitate Mosca aliquandiu morantur, a V. P. N. Petro, Procuratore Missionum litteras accipiunt, quibus ad accelerandum iter in Persiden urgebantur ». ²⁹ « His urgentibus permoti litteris missionarii nostri omni prorsus postposita mora, quantocyusque ulterius proficisci decreverunt et ad id facultatem Demetrii petierunt. Hic quamquam admodum aegre patebatur eos a se avelli, quia tamen iis supra modum placere desiderabat, Cinam institutum iter prosequendi opportunitatem illis liberalissime obtulit. Redibat namque per Moscoviam ab Imperatore Romanorum ad Regem Persarum dimissus orator Persa, et de civitate Mosca perendie erat discessurus. Duos etiam ipsemet Demetrius ad eundem Persarum Regem destinabat legatos, tribus tamen aut quattuor post proxima festa Paschalia hebdomadibus profecturos. Utramque hanc proposuit commoditatem Dux beneficus, et suam mallent eligere permisit, insuper pollicitus sese illis ad co-

²⁷ *Ibid.*, p. 183, n. 33.

²⁸ Cfr. A. GUÉPIN, *op. cit.*, I, 47; T. HALUSCYNKYJ, *op. cit.* in « Dobr. Past. » 1937, p. 261; Volod. FURYKOVYČ, *De origine Metr. J. Rutskyj*, in « Bohoslovija », v. XV (1937) f. fasc. 4, p. 267; *et alii*.

²⁹ *Annales Carmelit disc.*, vol. I, (an. 1606), p. 183, Nr. 34.

meatum et securitatem omnia necessaria provisurum. Inito itaque cōsilio, libratisque hinc inde rationum occurrentium argumentis satius illis visum, omni procrastinatione semota ulterius procedendum. Quod decreverunt magno Duci significabant, qui perbenigne volere iussit cum oratore Persa discedendi. Cassamuniis petendi copiam eis fecit: fidem publicam ad com meatum a Magno Cancellario Imperii sui expediri praecepit. Trabas seu cospenta absque ratis suppeditavit. Tres Moschovitas nobilitate claros, qui eos comitarentur, adiunxit. Interpretem quoque Graecum, Sophoniam nomine, linguae italicae optime gnarum addidit, ac demum oeconomum Moschovitam, qui hospitia victumque illis, propriis principis expensis, provideret, adiecit; cui etiam in mandatis dedit, ut zebellinarum pellium aliorumque rerum pretiosorum munera suo nomine iuxta morem patriae eis donaret. Constituti in hunc modum omnes die 22 martii, quae et martis et magnae hebdomadae tertia erat, cum praememoratis omnibus, nec non aliis tribus interpretibus, quorum duos pro lingua Moscovitica secum e Polonia deduxerant, alterum vero Moscuae pro lingua turcica assumpserunt, tres Patres et frater Donatus, nec non Dominus Franciscus de Peralta viam capessunt, Voldomiriam, primam Magnum Moscoviae Ducum olim sedem appellant. Exinde Muromam ». ³⁰ Prima res, quae se oculis obicit, est silentium absolutum de Joanne Rutskyj tum in accessu Moscuam, tum in discessu. Agitur de omnibus aliis, usque ad nominis commemorationem alicuius interpreti, qui linguam italicam cognoscebat, sed nihil de iuvene nobili Joanne Rutskyj, qui certe tum sua scientia, tum positione sociali eminebat. Commemoratur alius nobilis Italus, sed nihil de Rutskyj. Fortasse quia Rutskyj iter suum faciebat in comitatu Alexandri Rangone, Legati Pontificii? Ex altera parte videmus etiam ex supracitata narratione, Moscuae Carmelitae aliquas difficultates cum Demetrio habuisse circa eorum discessum. Similiter etiam cogitandum de Rutskyj, quod habuit aliquas difficultates ex parte Demetrii in connexione cum introductione Carmelitarum in Moscoviam ad roborandam positionem politicam Demetrii.

Inde in illa narratione Korsakiana debet distingui de facto aliquod elementum verum, historicum, et aliquod elementum litterarium, fictitivum, quo ultimo elemento vocatio Rutskyj ad ritum et Ecclesiam Ruthenam miraculosa evadere debuit. Certe auctoritas Raphaëlis Korsak in materia biographiae Metropolitanae Rutskyj est maximi momenti, nisi obstant testimonia testium et spectatorum bene conservata et fide digna. Revera pro periodo vitae Metropolitanae Rutskyj « Moschovitico » datur relatio immediata eius in itinere socii et superioris, hoc eodem anno, immo et mense scripta, cui proinde plus fidendum est, quam narrationi Korsak, scriptae 30 annos post.

* *Ibid.*, p. 183, n. 35-36.

Die 15. martii 1606 P. Paulus Simon, superior Missionis Persicae misit relationem de sua in Moschovia commoratione deque rebus Moschoviticis in genere. Pars conspicua huius relationis tractat etiam de persona Joannis Rutskyj, itidem Moscua morantis. Secundum nostram convictionem ex ipsa lectione relationis huius haustam, relatio haec ab omni elemento litterario libera est et revera de pura realitate Moscoviticae commorationis tractat. Sed audiat ipse magnus Carmelita, in nostra materia fide dignissimus.

« Se non si riforma li monachi da quali sempre si cavano li Prelati, ne il Principe sarà sicuro (Demetrio, AW), perchè sempre li porrano insidie vedendo che è cattolico, ne la unione di questa Chiesa con la Latina sarà mai perfetta e stabile. Ho discorso alcune volte con questo reverendo Padre Gesuita e con Signore Giovanni Velamin come si poteriano riformare, e non havendo trovato mezzo ne più sicuro ne più utile ne più rentibile questo, che S. Sanctità mandi Religiosi de altra Religione, o Sacerdoti secolari con habito di San Basilio, e col rito Graeco, li quali saranno bene ricevuti da questi monachi, e Prelati come vediamo, che fanno con li Religiosi Greci, che vengono in questo paese, anzi il Patriarcha e l'uno Arcivescovo Greco; feci che il Rev.do Padre Nicolao Gesuita acenno questo mezzo al Principe, e li piaque molto; anzi voleva, che il Signore Giovanni Velamin rimanesse adesso in Moscha per effettuarlo; ma con scusa d'accommodare le sue cose domestiche lo lascia ritornare. Al Principe pare, che sarà de maggior frutto se venissero con l'habito secolare, e pigliassero poi l'habito Religioso qui, per levare ogni sospetto alli Moscoviti; al Signore Giovanni Velamin pare di non, anzi che uno di loro havera d'avvenire Vescovo per non ordinarsi da Vescovi Schismatici, come sarà necessario; alias pare in questi principii costi lo vederanno meglio; et il Signore Giovanni Velamin, che viene à Roma con il Signor Conte per questo informerà à V. R. più minutamente. Il disegno è qui fare quello che si doveva fare in Lituania con il Signor Ruschi; al Rev.do Padre li pare che niuna Religione latina saria più à proposito per questo quanto la nostra (perchè la Compagnia di Gesù non lo farà dicendo essere alieno del loro istituto pigliare nivola e non mangiare carne), se per essere molto conforme alla regola di S. Basilio, se anco per essere unita d'accordo con la Compagnia di Gesù: cosa necessaria per quelli sacerdoti o secolari o Religiosi, che saranno mandati; altrimenti faranno più danno che utile per conservare l'unione e charità; che li Padri nostri o dalle Religioni destinate a questa impresa facessero voto o giuramento di fratellanza con i Padri della Compagnia di Gesù, che saranno qui et in certa maniera di comunicare insieme li dubi e difficoltà che haveranno et aiutarsi invicem; anzi non saria forse male, che li Rev.mi Generali o la Religione facesse il detto voto o giuramenti per essere sempre uniti, e non solo in questo ma in ogni altro Regno; poichè... » (fasc. 5).

Et in fascicolo sexto P. Paulus scribit: « Il Signor Giovanni Ru-

schì ha corso pericolo di restarsi in Moscuà desiderando molto il Padre Giesuita; è risoluto venire con il Signor Conte da V. R-a per comunicare seco se fanno meglio incominciare il suo desiderio antiquo in Russia o in Moscuà; è risoluto far tutto quello, che V. R-a li dira. Mi ha consolato in questo viaggio con le sue virtù e la bonissima natura humile, modesto, obedientissimo; penitente e sano; non dubito, che piacerà à V. R-a; la prego consolarlo con due Religioni, o per Russia o per Moscovia, se per forte in Lituania havesse tale impedimento, che non potesse venire costì; fermerà a V. R-a. Se bene in questo viaggio ci hanno fatto molta carità in tutti i luoghi, fosse sarà servitio di Dio, che li Padri, che venivano habbino il suo viatico per non ricevere danari ne limosine acciò non dichino li heretici che S. Santità e la Religione fa le missioni per guadagnare... ».³¹

*

Ecce illa relatio in nostra materia vere maximi ponderis. Qua ex relatione facta sequentia luce clariora apparent: a) commorationem Missionis P. Pauli Simon Moscuæ non fuisse coactam vel ad minus inactivam, si talia negotia cum ipso car Demetrio tractantur; b) personam Joannis Rutskyj fuisse in medio harum tractationum circa reformationem monachorum Moscoviae; c) Societatem Jesu contendisse, ut Joannem Rutskyj pro sua missione Moscovitica conquistaret; d) nihil omnino commemoratur de intentione aliqua Joannis Rutskyj, ut iter suum in Persiam continuaret; sed dicitur, quod ille fuit in periculo Moscuæ remanendi instante Demetrio per Patrem Nicolaum (S. J.);³² ad summum potest dici, Demetrium noluisse, Rutskyj in Lithuaniam reverti; e) tractationes Moscuæ habitae, versantur circa reformationem monachatus Moscoviae cum auxilio Religionum occidentalium, in specie Carmelitarum disalceatorum; f) modus auxilii praestandi fuit, ut veniant Carmelitae Moscoviam in monasteria schismaticorum, accipiant vestem S. Basilii monachorum in ritu Graeco; hoc modo Unio Moscoviae cum Ecclesia Romana assicurata fuisset post aliquod tempus; g) quoad ipsum modum effectus huius propositi duplex dabatur sententia:

1. - ex una parte Demetrius vult dictos Religiosos venire in veste saeculari, et vestem Religiosorum S. Basilii in Moscuà accipere, ne aliqua suspitio oriatur;

2. - ex altera parte erat voluntas Velamini Rutskyj, ut veniant in veste religiosa S. Basilii, immo cum uno episcopo, ut possent ordinationes dari modo catholico; h) a Patre Paulo expresse dicitur, quod Rutskyj proficiscatur Romam, ut hac de re cum Superio-

³¹ ARCH. GEN. O. C. D., Plut. 235, segm. i, *Missiones: Persia: Litterae et rel. P. Pauli Sim.*

³² Agitur de P. Nicolao Czirzowski, S. J., Qui fuit Polonus, cfr. ejus epist. de data 24.X. et 6.XI.1605 an; (ASV, Fondo Borghese Ser. II, 499, 51).

ribus tractaret et hoc scribit P. Paulus jam die 15 martij 1606; ergo jam multo ante Pascha eiusdem anni; (hoc anno die 27.III., secundum calendarium Gregorianum, inde et narratio Korsak de nocturno itinere Missionis Pauli Simon et de Rutskyj-Jona istius itineris, saltem chronologice non potest esse nisi sermo. Inde et conclusio manet certa, quod Rutskyj iter suum usque in Persiam facere non intendebat; i) comes, quocum Rutskyj Romam proficisci proponit, erat nepos Nuntij Polonici — Rangone;³³ Haec ergo facta ut certa admitti debent.

*

Ex supradicta relatione Pauli Simon e Moscua jam nobis etiam pars « secreti » de « desideriis » Joannis Rutskyj, anno 1604-05 habitis, revelatur. Facta nempe sua propositione in materia foundationis alicuius monasterii Carmelitani Rutheni in Lithuania, Rutskyj adventum fratrum Italiae vel Hispaniae expectabat, deficientibus aliis, linguam scientibus; cum autem post Capitulum Generale anni 1605 Carmelitani in Poloniam venirent, sed Cracoviae fundamenta suae in Polonia commorationis iacerent (28.XI.1605), Rutskyj vi interna impulsus iter suum, quasi de suo in Lithuania labore desperans, in Moschoviam fecit. Moscuae vero, ubi Missio Pauli Simonis per aliquod tempus commorabatur, in colloquiis cum Jesuitis de statu Ecclesiae Moschoviticae habitis, proposita Rutskyj de novo reviviscunt et a Patre Nicolao, Jesuita, Demetrio Magno Duci Moschoviae deferuntur, a quo approbationem obtinent, praesertim ex rationibus politicis; ut per Ecclesiam ad Unionem cum Ecclesia Romana perductam, suum imperium adhuc valde debile et incertum corroboraret.³⁴ Inde idea Rutskyj de reformando monachatu

³³ Cfr. ASV, *Fondo Borghese*, ser. II, 435, fol. 150, ubi in epist. Secret. Status ad Nuntium Poloniae — Rangone — data, die 24.VI.1606, scribitur de adventu hoc: « il Conte Alessandro, Nipote di V. S., et ha portato lettere del Gran Duca di Moscovia et ambasciata grandissima... » In qua fortasse fuit Rutskyj cum suo negotio.

³⁴ In Annalibus Carm. narratur etiam de aliqua « iniziativa » monachorum Moscoviae in materia alicuius reformationis. En illa verba: « Sed et apud regionis illius monachos Basilianos tantam nostri ob vitae puritatem et in primaeva austeritate similitudinem consecuti sunt gratiam, ut plurimi eorum in votis haberent illorum institutioni sese subiciendi. Quin etiam datis litteris ad Superiores supplicarunt, ut plures similes eo destinarentur, qui sanctae vitae societate in iis quae ad sinceram cum Romano Pontifice Unionem spectarent eos instruerent, confirmarent et ad perfectionem Religiosae vitae verbis et exemplis inducerent ac promoverent. At enim tempus opportunum et a divina Providentia praestitutum ad desideratam huius gentis conversionem optatamque in ovile Christi reductionem nondum affulserat sed inscrutabili Supremi Numinis iudicio factum, ut etiam hac prima verae fidei ac sincerae Religionis semina (quae iam dum aliqualem futuri fructus spem faciebant) novis et inspectatis huius ferae nationis motibus horrendisque sceleribus (prout paulo post plenius patebit) suffocarentur, extirparentur, et prorsus in nihilum redigerentur ». (Annales Carmel., vol. I, an. 1606, p. 183, n. 33). Sed, ut mihi videtur, ibi duae res miscebantur, petitio nempe

moschovitico ope et auxilio Religionum occidentalium ei maxime aridet; et cum inquietudine usurpatoribus propria, rem totam statim exsequi desiderat, proponendo ut ipse Rutskyj statim in aliquod monasterium Basilianum Moscuae intraret ad dictum finem obtinendum. Sed modus ille praecipitosus Rutskyj valde displicuit, immo totum negotium hoc modo frustrari in periculo erat. Proinde Rutskyj propositionem Demetrii renuit, se rebus familiaribus adhuc ordinandis excusans; sed Demetrius mediante P. Nicolao insistebat et fortasse aliqua impedimenta ei in viam posuit, ne in Lithuaniam reverteretur. Inde et timor P. Pauli, ne Rutskyj Moscua remaneret. Tandem Rutskyj in comitatu comitis Alexandri, nepotis Rangone, Moscuae valedicere potuit. Inde et posterior illa Korsak narratio et amarum illud effatum Rutskyj de « irreligiosis Moschis ».³⁵

Prout refert P. Paulus Simon, Rutskyj Moscuam relinquens paratus fuit, totum hoc negotium iudicio Superioris Generalis Carmelitarum³⁶ proponere, ab eoque decisionem circa exsecutionis modum expetere, prout hoc etiam P. Paulus in sua relatione, fortasse per Comitem Alexandrum missam, communicabat et Joannem Rutskyj Superiori suo commendabat: « è risoluto venire con il Signor Conte da V. R-a per comunicare seco se fanno meglio incominciare il suo desiderio antiquo in Russia, o in Moscu; è risoluto per tutto quello, che V. R-a li dirà ».

Ex nostra inquisitione relationis P. Pauli Simon etiam apparet, quale nam fuerit hoc « antiquum desiderium » Rutskyj, certe, ex anno 1604. Dicendum nempe, secundum relationem P. Pauli, fuisse identicum cum propositionibus Moscuae habitis circa au-

Rutskyj-Potij ad Capitulum Generale anni 1605 et tractationes Moscoviticae de reformando monachatu, quae duae res in persona Joannis Rutskyj coniunguntur. Monachos Moscoviae tali modo his de rebus cogitavisse difficile est cogitatu, praesertim, quod spectat unionem cum Romana Ecclesia.

³⁵ R. KORSÁK, *Vita Rutscii*, cap. XII. Ad stabiliendam melius chronologiam huius itineris Moscuensis Joannis Rutskyj nec non eius circumstantiarum, non sine fructu erit etiam sequens testimonium e « *Diario Domus professae S. J. ad S. Barbaram, Cracoviae* » adducere: « FERIA secunda Paschatis, quae in 27-am Martii inciderat, abiit Ducissa (agitur de Marina Mnieszek, sponsata falso Demetrio) Slonimo et venit in Mir, oppidum Palatini Vilmensis Nicolai Christophori Radzivili. Ibi inventus in reditu a Demetrio, Rangonius nepos Nuntii Apostolici (qui ab eodem Nuntio ad gratulandum Demetrio de principatu occupato, Moscuam missus fuerat) cum quo plurima P. Sawicki contulit... Tandem die 30-a Martii ventum Nesvium... » (p. 120-121), in « *SCRIPTORES RERUM POLONICARUM*, t. X: Historici: *Diarii domus professae S. J. ad S. Barbaram Cracoviae: 1600-1608*, Kraków 1886. Inde patet, quod Rutskyj, qui cum principe Rangone e Moscuam profectus est, iam inter diem 27 et 30 Martii in Lithuania commorasse. Non potuit ergo nocte Paschatis 1606 (26-27.III) particeps esse in misterioso nocturno itinere Missionis Carmelitanae, prout, traditum est a Korsak.

³⁶ Superior Generalis Ordinis Carm. Disc. tunc temporis fuit P. Ferdinandus à S. Maria, electus in Capitulo Gen. anni 1605; ei successit anno 1608, 24.IV, P. Petrus a Matre Dei; sed paucos post menses mortuus est.

xilium Religionum occidentalium (in specie Carmelitarum) ad reformatos Basilianos, ibi Lithuaniae, hic Moschoviae. Agitur ergo de unico «desiderio», sed solummodo dubitatur de loco executionis, nam si impedimenta aliqua eveniebant in Lithuania, hoc ipsum negotium exsequendum erat Moscuæ. Etiam circa particularitates propositionum Moschoviticarum documenta nobis desunt, nam, ut P. Paulus scribit: «il Signore Giovanni Velamin, che viene a Roma... per questo informerà a V. R-a più minutamente. Il disegno è di fare qui quello, che si doveva fare in Lituania con il Signor Ruschi» (ib.).

Adsunt tamen aliquae particularitates propositionis Rutskyj, quae ad conclusiones de proposito ipso faciendas conducere possunt. Secundum opinionem Rutskyj Religio ad hanc rem aptissima est Ordo Carmelitanorum Discalceatorum, et quidem propter duas rationes: 1. ob huius Ordinis cum Regula Basiliana similitudinem, et 2. ob eiusdem Ordinis cum Societate Jesu concordiam, quae omnino necessaria est in illa Missione; ex altera parte ratio, cur Societas Jesu ad hoc negotium non consentiat, est disciplina huius Ordinis, nempe «la Compagnia di Gesù non lo farà dicendo essere alieno del loro istituto pigliare nivola e non mangiar carne» (ib.). Ergo possumus concludere, in toto hoc negotio de aliqua introductione alicuius Ordinis occidentalis in Russiam cum eiusdem Ordinis ritu latino actum non est, sed de introductione in monasteria Basilianorum monachorum Occidentalium in veste et observantia monachorum S. Basilii, ut spiritum suum his monachis communicent eosque cum Ecclesia Romana firmiter coniungant. Ecce hoc «desiderium antiquum» Joannis Rutskyj, quod tamen postea Romae aliquomodo modificatum fuit, ut statim videbimus.

Ex hucusque dictis apparet factum illud valde mirum, Joannem Rutskyj, iuvenem triginta annos agentem, tantam auctoritatem in hoc negotio habuisse non solum apud Patres Carmelitas, sed etiam apud Metropolitam Hypatium, immo ipsum magnum Ducem Moschoviae. Certe, praeter dotes eius personales, effectum hoc inconsumtum ipsae ideae a Rutskyj propagatae adscribendum est. Hunc eundem effectum Rutskyj etiam Romae assecutus est, prout documenta clare testantur. Romae tamen idea Rutskyj aliquas mutationes subiit, quae novum periodum in huius ideae evolutione efficiunt. Periodum tamen Moscovensem, in vita Rutskyj posteriori, maiorem influxum habuisse quam illam Romanam constat.

Scimus enim Rutskyj, jam Metropolitam Russiae, per totum fere decennium (1620-1630) instantias in Curia Generali Carmelitarum fecisse, ut tandem aliquando Carmelitani in Ordinem Basilianum a se reformatum mitterentur, qui opus hoc reformatorium adjuvent. Cuius tamen ideae radices iam anno 1606 in Moscuæ actas fuisse, nostra investigatio clare ostendit. Inde sine magna scientia huius periodi neque activitas Metropolitanae Rutskyj bene intelligi potest, praesertim eius continuae flagitationes auxilii Carmelitarum, immo et querelae, usque dum in fine auxilium Carmelitarum ei

denegatum fuit.³⁷ Commoratio Rutskyj Moscuae etiam pro periodo vitae eius immediatae subsequentis fundamentalis fuit, quam nos Romanam vocamus (1606-IV - 1607-IX).

*

Tempus commorationis Rutskyj in Moschovia satis breve fuit, etsi ipse in periculo erat, ne tempus hoc per decennia protraheretur. Mihi videtur, Rutskyj die 15. martii adhuc Moscuae moratus esse, quo P. Paulus Simon suam relationem de Moscovia scribebat; nam supponimus, epistolam hanc fuisse portatam Romam per comitem Alexandrum, nepotem Nuntii Apostolici Varsaviensis, Rangone, qui sane Romam proficiscebatur et secum litteras Demetrii portabat, cum magno comitatu, « ambasciata ». Comparando datam diei 15. martii cum illa 17. aprilis eiusdem anni 1606, quo die, Varsaviae, Metropolita Russiae Joanni Rutskyj Romam proficiscenti epistolam commendatitiam ad Papam Paulum V scripsit, tunc revera Rutskyj de Moscuam circa diem 15. martii proficisci debuit, ut distantias Varsaviam et Moscuam inter superaret. Inde neque Vilnae, neque in Lithuania diu commorare potuit.

Postquam vero Varsaviam venit, a Metropolita litteras commendatitias petit, quas ei Metropolita dedit, immo eum pro sua persona « ad limina » misit. Inde concludendum, excursionem Rutskyj Moscoviam non fuisse in oculis Metropolitae fugam ex ritu Rutheno, sed fortasse aliquam missionem; vel saltem non fuisse factam sine scitu aut permissione Metropolitae. Legamus quomodo Metropolita hunc virum, adhuc saecularem, Papae Paulo V commendat. « Joannem Rudski nobilem Lituanum, de nobis nostraque religione optime meritum ad Urbem proficiscentem ob pia quaedam animi vota et desideria, literis meis Sanctitati Vestrae commendare non dubitavi; quippe dignus est, cui Sanctissima Sedes Apostolica paternum affectum exhiberet. Huic nonnulla negotia, ad conservationem Sanctissimae Concordiae spectantia, quae cum Sanctitate Vestra transigat commisi, iteratisque verbis imposui. Potissimum vero de erigendo Seminario in nostris partibus cum Sanctitate Vestra non solum verba faciat, sed etiam quantum in se est ut persuadeat, inculcavi. Ad extremum, ut nomine nostro cum limina Principum Apostolorum, ut moris est, tum Sanctissimas tuas pedes deosculentur, nostraque obsequia deferat, et singulare studium, ac pietatem erga omnium aliarum parentem ac magistram Ecclesiarum humillime commendat, et foedus quondam modo renovet sacrosanctum, diligenter iniunximus ».³⁸

Ex hac epistola inter alia apparet, Metropolitam Joannem Rutskyj etiam post eius in Moscoviam iter vere aestimasse, quod ei tanta et tam necessaria negotia apud Sanctam Sedem tractanda com-

³⁷ Ultimae notitiae circa annum 1628; culmen instantiarum anno 1624.

³⁸ ASV, *Fondo Borghese*, ser. I, n. 512, fol. 17.

misit. Item nota ei fuerunt illa « pia animi vota et desideria », quorum causa Rutskyj suum iter Romam faciebat. Possumus unum tantummodo concludere, tacente Metropolita de his « piis votis et desideriiis », nempe: haec pia vota et desideria non fuisse fugam ex ritu Rutheno, secus juvenis Rutskyj esset maxime incapax, ut ei commendetur « renovatio foederis sacrosancti », scil., Sanctae Unionis ante decem annos ab ipso Metropolita, tunc Protothronio Volodimiriensi, conclusae.

Munitus tali recommendatione, Rutskyj profectus est, missione quasi officiali: « visitationis liminum » fungens. Supponimus eum Romam cum magna illa « ambasciata » comitis Alexandri Rangone proficisci; proinde eum ingressum suum Romam circa diem 24 iunii 1606 fecisse.³⁹

Romae Joannes Rutskyj apud Curiam notus iam fuit. Fuit Alumnus Collegii Graecorum, eiusque ad ritum Ruthenum « compulsio », a Papa Clemente VIII facta, eum in circulis respectivis notum fecit. Etiam penes Curias Generales Ordinum, uti Societatis Jesu, et Carmelitanorum Discalceatorum notus fuit.

Ex relatione P. Pauli Simon e Moscovia (supra iam citata in extenso) apparet, eum in monasterio PP. Carmelitarum habitasse (« fermiera à V. R-a », ib.). Nescimus etiam, quid ei ex commissis a Metropolita succederet, ut impetraret; certe de Seminario in Russia erigendo nihil postea auditur, nisi, quod anno 1607, Cardinalis Borghese ad Nuntium Poloniae in materia instantiarum Joannis Rutskyj (tunc temporis iam in novitiatu Vilmensi SS. Trinitatis) rescripsit: « N. Signore non ha promesso di far edificare in cotesto Regno il Seminario del rito greco, che pretende il Rutski; ne credo che il P. Pietro Scalzo habbia data questa intentione, non havendo havuto tal'ordine da Sua Santità. In tutto quel che si potrà, si favoriranno i pii pensieri de Greci del Regno, ma con occasione opportuna; et V. S. faciliterà i mezzi; sarà grato ogni avvertimento... ».⁴⁰ Ergo, ut videmus, quoad hanc partem nihil concessum fuit, etiamsi negotium hoc a Metropolita Joanni Rutskyj modo speciali commendabatur. Sed pro nostro scopo maioris est momenti, qualem successum ipse Rutskyj in sua missione et proposito Moscuae facto, scil. in suis « piis votis et desideriiis » habuerit.

Qua in materia Joannes Rutskyj, tum cum Sancta Sede, tam cum Curia Generali Carmelitarum et Societatis Jesu tractare debuit. De aliis non habemus notitias. In colloquiis ergo cum personis respectivis habitis, propositum et intentio eius maturior evasit. Ut fructus horum omnium colloquiorum, Moscuae et Romae habitorum, fuit memoriale a Rutskyj factum, quod ille ipse in Secretaria Status, et certe apud Curias Religionum respectivarum deposuit. Habemus hoc memoriale editum anno 1613, Antverpiis. Est ulti-

³⁹ ASV, *Fondo Borghese*, ser. II, 435, fol. 150.

⁴⁰ ASV, *Nunz. Poloniae*, vol. 173, fol. 222v.

num stadium evolutionis mentis Rutskyj in hoc negotio adiuvandae Ecclesiae Ruthenae ope reformationis monachici status Rutheni, auxilio Religionum occidentalium perfectae. Sed audiantur ipsa documenta, quae etiam sine explicationibus clara sunt.

*

In una epistola ad Alumnos Collegii Graecorum in Urbe scripta, anno 1623, e Varsavia die 29 februarii, Metropolita Rutskyj scribit, ad eorum unionem cum P. Paulo, Carmelita, respondendo: « Quodam Rev.do Patri Páulo Carmelitae uniti estis valde gaudeo; est magnus servus Dei; utinam vos tales efficiat. Hoc quod concessum erat cum magna caritate illorum Sanctorum Patrum et Summo Pontifice approbatum effectum non habuit; primo expectabantur aliqui Poloni, ut venirent ad religionem; praeter unum Patrem Brechuam nullus hic erat, et tales qui non callent linguam non videntur admittendi. Secundo mors sanctissimi illius Patris Petri a Matre Dei, qui erat a confessionibus Pauli Quinti, impedivit; tandem turbationes, quas excitaverunt nobis schismatici. Scribo hoc modo litteras ad Capitulum Generale, ut affectum, quem semper conceperunt erga nos retineant; modos interim et rationes iuvandi nos Patri Provinciali Poloniae committant. Ad ultimum hoc vobis in memoriam revoco, ut diligenter legatis discursum unius Patris Carmelitae de iuvandis Ruthenis, in libro, cui titulus: Thesaurus Sapientiae, ubi ferme de verbo ad verbum est transcriptus discursus meus, quem dederam initio Pontificatus Pauli Quinti, Secretario Partium Septentrionalium, homini egregio, Domino Mariano Malacriadae, dum nomine mei Metropolitanae, saecularis adhuc existens, deferebam obedientiam initio Pontificatus. Et iuberer dicere, quod mihi occurrere videbatur de promovenda Religione; conscripseramus autem illum in Moschovia cum eodem amantissimo meo Patre Paulo magna ex parte; et offerri debebat Duci Moschoviae; saltem in duobus locis est ibi adiunctum: primum, de ieiunio ab exaltatione S. Crucis, quod est proprium Patrum Carmelitarum, et non meum; et in alio loco adiunctum est, ut ad unitatem ritus Latini adducuntur. His demptis omnia sunt mea ».⁴¹

Videmus etiam 16 annis post, Rutskyj periodi huius et theoriae iuvenilis recordari, immo Alumnis suis legendam proponere. Ex hac commemoratione certe scimus, eum esse auctorem huius anonymi articuli, Moscuae praeparati et Romae praesentati. Si spectatur articulus ipse in libro P. Thomae a Jesu, Carmelitani discalceati, edito Antverpiis 1613, sub duplici titulo: « Thesaurus Sapientiae Divinae, in gentium omnium salute procuranda; schismaticorum, Haereticorum, Judaeorum, saracenorum, ceterorumque infidelium errores demonstrans, impiissimarum sectarum, maxime orientalium, ritus et historiae fidem XII libris enarrans errores ad veritatis lu-

⁴¹ ARCH. COL. GR., vol. I, fol. 354-355; De Rutskyj, ut auctore dubitat adhuc A. GUÉPIN, *op. cit.* I, 54, not. 1; Cfr. T. HALUSCYNKYJ, *op. cit.* p. 260.

cem confutans...»⁴² (hic ipse liber editur nonnunquam sub titulo: «*De procuranda salute omnium gentium, schismaticorum... etc*», ut supra), — tunc statim cognoscimus, eum esse ultimam huius memorialis redactionem, Romae exaratam, post diuturna fortasse cum Generali Carmelitarum colloquia. Nam inter propositiones in colloquiis Moscuensibus et illis Romanis differentiae essentiales ad-sunt, quod monachis Basilianis Ruthenis suae sorti datis, fundatio ramificationum variarum Religionum occidentalium in ritu Rutheno, ut unicum medium Sanctam Unionem cum Ecclesia Romana servandi et dilatandi proponitur. Et hoc elementum esse vere novum unicuique patet, et, est mea sententia, propositum fuit, postquam e colloquiis Romanis apparuit, Superiores dictarum Religionum non esse paratos optimos suos Religiosos pro hac missione sacrificare. Sed videamus ipsum articulum quoad sua puncta principaliora.



In libro VI. (dicti operis P. Thomae): De unione schismaticorum omnium cum Ecclesia catholica procuranda, parte II: De iuvandis Graecis..., in capite tertio: «*De aliis mediis iuvandi Graecos et Ruthenos*», dicit auctor Carmelita: «*Placuit hic media alia a viris gravibus, et illorum gentium conversionis maximum zelum habentibus summo Pontifici Clementi VIII. proposita in medium etiam producere; quae forsitan, cum venerit Patris hora, qua in vineam suam errantes operarios velit revocare, non parum conducent.*

Primum autem medium a viro quodam gravissimo Rutheno excogitatum sequentibus verbis continetur.

Duo potissimum inter alia necessaria sunt in omni conversione, praecipue in conversione aut Unione Graecorum et Ruthenorum Ecclesiae Catholicae Romanae.

Unum quod illi, qui huiusmodi provinciam suscipiunt, ac conversionem animarum tractant, debeant se accomodare naturae, et captui eorum, quos convertere nituntur, illosque in omnibus, quae essentialiter non repugnant aeternae saluti, in principio secundare, ne propter accidentale aliquid amittant essenziale... »;⁴³

«*Alterum quod requiritur est perseverantia; parum enim aut nihil prodest semel et iterum conari, si perseverantia deest...* »;

«*Defectu horum unio totius attentata Graecorum et Ruthenorum cum Ecclesia (ut de aliis taceam) non habuit optatum effectum* ».

«*Primum defuit, quia cum illi, qui eos iuvare conabantur, viderent Graecos habere antipathiam cum Romanis ac quodammodo naturalem alienationem, ut persisterent in unione, tentarunt ab ipsorum ritu eos deducere (si non verbis, saltem operibus) extollendo*

⁴² Invenitur in ARCH. GEN. O. C. D., Nr. AG 295; in APF, sub sigla: A-1-c.

⁴³ THOMAS A JESU, O. C. D., *De procuranda Salute omnium gentium...*, Antverpiis 1613, p. 288 sq.

Romanum, in quo celebrabant, ac consequenter deprimendo Graecum, ut sic ipsos et eorum filios ad Romanum Ritus paulatim traherent; quod illi naturaliter inflati et qui amore fortissimo tenentur erga suos ritus ferre non potuerunt. Unde multum odii inde conceperunt contra Ecclesiam et Romanum Ritus... »(ib.);

« Secundum quoque, nempe perseverantia, defuit in ipsorum conversione; nunquam enim habuerunt homines ad illos destinatos, quibus ex officio incumberet eorum conversio; qui primo quotidianis precibus a Deo eorum salutem ac conversionem exposcerent, deinde studio, diligentia, speculatione in idem laborarent, summosque Pontifices et reliquos Praelatos ad id permoverent... »;

« Unico tantum remedio, nisi fallor, praedicta duo impedimenta tollerentur, et Rutheni isti facile converterentur ex concepto odio ad amorem Ecclesiae Romanae, non tantum verbo, sed corde et opere: si haberent nimirum unam vel alteram, vel plures Religionem observantes, quae ex indulto Sedis Apostolicae possent ritu Ruthenico celebrare, sublatis tamen erroribus (si quae sunt), quae incuria et ignorantia ipsorum sacerdotum sunt introductae, reducendo omnia ad suum principium et originem ».

« Primum quod desiderabatur in modo conversionis aut reductionis tolleretur: tales enim Religiosi eorum ceremonias et ritum non deprimerent, sed potius et verbo et opere tanquam proprium extollerent... »(ib.);

« Secundum etiam tolleretur, quia tunc haberent Religiosos viros Deo gratos, qui pro illis preces Deo funderent tum in studiis ad eorum conversionem accommodatis, tum in removendo impedimenta et obstacula eidem conversioni, eosque omnes ad eandem impellerent, tandem haberent speculatores et pastores, non mercenarios, qui vigilarent super istum Jesu Christi gregem, et hoc non ad tempus, sed usque ad consummationem saeculi... »(ib.);

« Non difficili negotio obtineretur, quod episcopi, Archiepiscopi et Metropolitae qui apud Ruthenos ex Religiosis (licet Ordinis S. Basilii) semper debent assumi, possent ex praedictis Religiosis eligi » (ib.);

Sed « Religionem quae ad hanc provinciam destinatur, debent habere sequentes conditiones », et enumerat quinque tales conditiones.

Prima conditio est, quod debent esse ex Reformatis, similes vita et regula Basilianis, ne essent minus perfecti illis; facile obtineri potest;

Secunda est, ut habeant etiam licentiam celebrare in ritu latino, ut fideles Rutheni assuescant ad hunc ritum, et ne abhorrent ab illo ut nunc;

Tertia conditio est, ut fundentur monasteria ad hoc et Romae et in aliis provinciis, ubi educuntur vocati ad hoc opus; erunt immediate subditi Superiori Generali; addiscent linguam graecam et ruthenam; possunt admitti in tale monasterium etiam Rutheni studii gratia;

Quarta: non eligantur ex illis Episcopi vel Metropolitae, nisi post finitum annum novitiatus, professionem et laborem in Religione per aliquot annos;

Quinta et ultima conditio, ut dicti Religiosi emittant quantum votum, scilicet: non ambiendi dignitates extra Religionem; « Haec ille », scil. Rutskyj.

*

Ecce memoriale illud anonymum « a viro quodam gravissimo Rutheno excogitatum », cuius auctorem Rutskyj, ut Metropolita, se ipsum profitetur. In epistola jam superius citata, ad Alumnos Ruthenos Collegii Graecorum in Urbe, ipse Rutskyj confitetur, se memoriale istud magna ex parte Moscuae composuisse, cui postea Romae manum ultimam apposuisse. Sed revera, inter colloquia Moscuiensia, prout cognoscuntur ex relatione P. Pauli Simon et articulum hunc Romae exaratum adest differentia, et quidem differentia talis, qualis assignatur ab A. Guépin inter hanc scripturam Rutskyj et aliam, sub titulo: « De corrigendo Regimine in ritu Graeco »; “ « Dans le second discours (De adiuvandis Ruthenis), Rutski

“ Cfr. A. GUÉPIN, *op. cit.*, I, 54, adn. 1; Non satis clare T. HALUSCYN., *op. cit.* 260, ad 7. Ut possimus recte cogitationes Rutskyj huius periodi aestimare, videndae sunt etiam breviter ideae principales discursus Joannis Rutskyj ex anno 1605, de « *instaurando ritu graeco...* ». Joannes Rutskyj post duos circiter annos suae in Lithuania commorationis sibi aliquam iam notitiam de statu Ecclesiae Ruthenae comparavit, quem statum tristem etiam initio sui discursus narrat. Ut causam istius magnae decadentiae in Ecclesia Ruthena assignat 1) defectum scientiae « in majoribus nostris », et 2) defectum sanctitatis vitae apud ipsos. Inde omne malum provenit. Et unica via reparationis huius status rerum est solummodo illa, ut educetur melius in scientia et sanctitate ille status, ex quo tota Hierarchia Ruthena provenit, scil. monachi Basiliani, qui tempore praesentis ne scientia ne sanctitate amplius excellunt, etiamsi aliqua signa externa vitae perfectioris adhuc remanserunt. Sed non in externis rebus sanctitas, sed in spiritu, qui spiritus tamen deest. Ergo quaerendus ubi est, apud monachos nempe reformatos occidentales, latinos. Et non sunt timendae obiectiones ex parte Schismaticorum, nam nihil omnino malum est discere apud illos, qui olim apud nos in schola erant. Doctrina et sanctitas erant autem in Oriente quamdiu vigeat ecclesiastica Unio. Exemplo Occidentis hodie Oriens solummodo scholas suas reformare contendit, sine tamen fructu, quia sanctitatem neglexit, qua excellunt scholae Patrum Societatis Jesus. Sed non possumus in illas scholas nos recipere propter periculum amittendi ritum graecum. Sunt necessariae scholae propriae, ubi formetur nostri et a nostris in doctrina et sanctitate edocentur. Modus autem fere unicus est, ut nempe aliqua Religio Occidentis latini, in qua viget doctrina et sanctitas et Basilianorum instituto consimilis est, monachorum suorum numerum necessarium mittat in Russiam, qui accepto ritu graeco et Regula S. Basilii, Religionem Basilianam in Russia suo spiritu et sanctitate inbuant. Pro hoc fine obtinendo debent designari aliqua monasteria, ubi illi monachi cum monachis Ruthenis cohabitando addiscerent ritum et linguam, monachi vero Rutheni doctrinam et sanctitatem. Et ita post aliquos iam annos possent fundari scholae pro saecularibus Ruthenis unde et novi candidati ad vitam monasticam venient. Et nulla timenda est inde difficultas et obiectio, quia docebunt in his scholis non latini, sed

proposuit la formation d'une branche du rite ruthène dans quelques uns des ordres religieux latins, afin d'avoir des Jésuits, des Carmes, des Dominicains voués exclusivement au service de l'Eglise grecque. Dans le premier (*De corrigendo Regimine...*) au contraire, il espérait que les futurs évêques de la Ruthénie quitteraient leur institut religieux avec le rite latin pour devenir basilien. ⁴⁵ Ergo ideae huius primi opusculi Joannis Rutskyj: « *De corrigendo Regimine in ritu Graeco* », perseverarunt usque ad mensem iunium anni 1606, scil. usque ad peregrinationem Romanam, proinde in mente eius anno 1604-5 praevalebant. Quaeritur nunc: cur tandem anno 1606, Romae, Rutskyj ideas suas in damnum Basilianorum Russiae mutavit? et quidem in favorem Religionum occidentalium latinarum? Secundum meam opinionem id factum fuisse non motu proprio Rutskyj, sed sub influxu difficultatum in obtinendo auxilio in illa ab ipso excoGITATA forma; erat proinde potius suggestio Superiorum Generalium Religionum, a quibus auxilium Rutskyj expetebat. Proinde videns, se nihil pro Ecclesia Ruthena et Basilianis in hac forma obtinere posse, hanc ultimam solutionem proposuit. In hac solutione ab auxilio monachatu Rutheno praestando abstrahatur; considerabatur solummodo bonum spirituale populi Rutheni, ad quod bonum obtinendum Rutskyj huic labori Religionum occidentalium in Russia suas quinque conditiones apposit, quorum tertia praesertim procurabat, ne Religiones occidentales suas provincias in Russia constituent; secundum hanc conditionem auxilium Occidentalium semper ad formam missionis coarctatum fuit; erat proin-

nostri graeci. Potestne tamen hoc nobis succedere? Eruntne latini parati venire? Necesse est, ut illos supplicemus. Et certe adsunt in Occidente viri zelantes, qui sponte venient. Papa vero suam approbationem non denegabit. Et fructus ex tali reformatione non diu tardabunt. Nam brevi iam habebitur: a) sanctitas et doctrina apud monachos Ruthenos, b) sufficienter numerus patrum spiritualium et praedicatorum, c) bonae scholae pro educatione cleri saecularis et civium, d) boni episcopi, designati ex illis tantummodo, qui per aliquot iam annos in his monasteriis reformatis vixerunt, e) et etiam pro schismaticis portae aperiuntur, ut eorum res meliorentur.

Talis erat idea principalis huius discursus juvenis Joannis Rutskyj anno 1605, secundum relationem prof. P. ZUKOVIC (*Zizneopisanie mitr. Josifa Veljamina Rutskaho, sostavlennoe mitr. Rafailom Korsakom...*, in « *Christianskoe Ctenije* » (1909, p. 1101-1108). Ut videmus hic discursus Rutskyj omnino concordat cum eius cogitationibus huius periodi, nobis aliunde iam cognitis (ante suum iter Romanum IV-XI, 1606), et dat nobis etiam conceptum de « piis desideriis » Rutskyj et Potij sub fine anni 1604 et anno 1605, quando a Patribus Carmelitis auxilium expetebatur, et Rutskyj etiam Carmelitis Italis et Hispanis se contentare paratus erat, « per ritirarsi ». Certe, quia intendebat, quod monachi illi « in selvis Lithuaniae » addiscent linguam et ritum, ipso cum illis cohabitante (« ritirarsi »). Ergo omnia secundum ideam principalem huius « discursus »; proinde nullo modo formatio alicuius monasterii latini Carmelitani in Lithuania videtur esse admittenda, secundum ideas Joannis Rutskyj.

⁴⁶ A. GUÉPIN, *op. cit.*, I, 54, adn. 1; Manuscriptum huius operis, scripti ruthenice, conservabatur Leopoli, PP. Basiliani; hodie deperditum; copia a A. Guépin facta in Bibl. Nationali Polona, Parisiis.

de concessio, quae lineam generalem idearum Rutskyj non transgrediebatur. Agitur hic revera de mera solutione characteris temporalis exinde apparet, Rutskyj, Basilianum factum, et Metropolitam electum, non amplius huius ideae executionem ursisse, sed e contra ad suam ideam originalem recurrisse, de adiuvandis nempe Basilianis ope Religiosorum occidentalium, qui Ordinem Basilianum intrarent et, mutato ritu, reformationem huius Ordinis adiuvarent.

*

Et nunc, antequam in nostra investigatione procedimus, ponendae sunt aliquae quaestiones, nempe de relatione inter ideas Joannis Rutskyj et vitae eius praxim, scilicet: utrum « pia illa vota et desiderata » personalia erant, an potius theoretica? Haec quaestio coniungitur cum alia principali: habuitne Joannes Rutskyj hoc tempore intentionem ritum Ruthenum derelinquere et in Religionem aliquam latinam intrare?

Omnia documenta in nostra investigatione adducta nobis certitudinem non dant, quod in toto hoc negotio res Joannis Rutskyj personalis agitur; quod ille non solum est huius negotii promotor et fundator, sed etiam se ipsum personaliter in totum hoc negotium incorporare intendebat. Nullibi expresse et propriis verbis hac de re loquitur sed solummodo quasi per transennam. Ex tota tamen spiritus Velamin Rutskyj directione, ex eius ad sacerdotium inclinatione, nec non ex tota in negotio reformationis monachorum sollicitudine debemus supponere, ibi revera rem Joannis Rutskyj personalem tractari. Si vero ita est, tunc nostrae duae supra positae quaestiones in unam coalescunt, nempe: potuitne fieri, ut Rutskyj auxilium Ordinum occidentalium, in ritu Rutheno, ad Unionem tuendam et ampliandam procurando, ipse in aliquam Religionem latinam intrare intenderet?

Etsi omnes autores concordant, Rutskyj anno 1606 Romam venisse, ut licentiam mutationis ritus Rutheni obtineret et in Religionem aliquam intraret, tamen documenta a nobis adducta, nec non conclusiones nostrae inde deductae id ut vere improbable reddunt. Quid debemus cogitare de tota « logica vitali » Rutskyj, si talem sententiam admittimus? Quaenam res fuit, quae illi in hoc negotio tractando talem perseverantiam dedit, si negotium hoc eum personaliter omnino non tangebatur, immo ille ipse ritui Rutheno simpliciter valedicere voluit? Tota vita Velamin Rutskyj inspecta, talem inconsequentiam et incohaerentiam illi adscribere non possumus. Quid ex. gr. dicendum de tali sententia A. Guépin: « A Rome, quand il avait sollicité la permission de passer au rite latin, il essaya tout d'abord un refus formel. Le pape Paul V tenait à observer avec une scrupuleuse fidélité les engagements de Clément VIII pour le maintien du rite ruthène; et comme Rutski persévérerait dans sa demande, des prélats et des religieux de grande autorité s'employèrent, par les ordres du Souverain Pontife, à ranimer son zèle pour le service de l'Eglise grecque. Au lieu de gagner la victoire,

ils se laissèrent vaincre par Rutski, qui finit par obtenir ce qu'il demandait, et partit de Rome avec la permission de quitter le rite grec pour entrer dans la Compagnie de Jésus ou dans l'Ordre réformé du Carmel. Il n'avait pas renoncé cependant à secourir ses compatriotes du rite ruthène.

» Rutski caressait depuis pluriens années le projet de restaurer l'Ordre basilien avec le concours de religieux formés à la science et à la piété au sein de l'Eglise latine... ».⁴⁶

Et nunc cognoscendo veram intentionem, quae Joannem Rutskyj e Moscu Romam conduxit, immo imaginemus eius missionem « ad limina » nomine Metropolitae totius Russiae, et ponamus totam hanc imaginem iuxta illam depictam a A. Guépin. Debemus dicere conclusiones A. Guépin esse omnino impossibiles, immo personae Joannis Rutskyj iniuriosae. Proinde ne amplius contradictionibus in hac periodo vitae Rutskyj laboremus, debemus, et quidem in luce documentorum possumus, affirmare, Joannem Velamin Rutskyj anno 1604-1606 de mutatione ritus Rutheni non cogitasse, et ad hunc finem obtinendum anno 1606 Romam venire non potuisse. Inde sententia contrarium affirmans hodie secure teneri non potest.

*

Hisce probatis jam ad ulteriorem investigationem commorationis Joannis Rutskyj in Urbe procedamus. Proposito suo memoriali « De adiuvandis Ruthenis » in Secretaria Status, Rutskyj responsum aliquam expectabat. Nescimus adhuc qualis nam responsio illi ipsi data sit. Sed revera hac de re in Curia Romana serio cogitabant, et instructiones pro Nuntio Apostolico in Poloniam mittendo secundum memoriale Velamin Rutskyj exaratae fuerunt, quod signum maximae aestimationis eius memorialis dici debet.

Post dimissionem Nuntii Apostolici Varsaviensis — Claudii Rangone, Romae novus Nuntius designatus fuit in persona Francisci Simonetta, episcopi Fulginatensis (Foligno). Die 11. novembris 1606 instructio pro novo Nuntio exarata fuit et a Cardinali Borghese subscripta,⁴⁷ qui tunc temporis fuit a Secretis Pauli Quinti. In hac instructione, satis ampla (fol. 138-150), inter alia sequentia dicuntur:

« L'Unione fatta ultimamente da li Vescovi Ruteni con questa S. Sede darà à V. S. occasione di far molte cose buone, et dal R. Giovanni Rutski, che viene seco in Polonia, intenderà pienamente quanto occorre. Se li Vescovi dell'Unione non daranno scandalo a quelli del loro rito havranno adito facilissimo di persuadere a popoli tutto quel che sarà per servire de le loro anime; bisogna perciò ch'essi osservino la regola di S. Basilio conforme al obbligo, et che col buon

⁴⁶ A. GUÉPIN, *op. cit.*, I, 53; eum sequuntur alii recentiores.

⁴⁷ Borghese Scipione Caffarelli, nat. Romae 1579, filius Hortensiae Borg., sororis Papae Pauli V, creatus Cardinalis a Paulo V, die 18.VII.1606; erat 27 an. aetatis, fuit quasi secretarius Status, anno 1608 Praef. S. C. Concilii et postea alia.

esempio principalmente tengano uniti i popoli con questa Santa Sede, non si servendo dell'Unione per liberarsi da la lor regola, et mettersi in maggior libertà di vivere con scandalo de Greci, et latini. Havrà V. S. minutta informatione di tutto ciò dal medesimo Rutski, il pensiero del quale commanda N. Signore che lei favorisca, et aiuti con ogni vivo affetto, et con la Maestà del Rè, et con li Vescovi del Regno, li quali potranno giovar molto al negotio; et per stabilir questa Unione et aiutare il concetto del Rutski, si scriveranno Brevi al Rè, ad alcuni Vescovi et ad altre persone secolari, et lei farà in conformità tutti gli officii necessarii, à ciò che si veda qualche buon effetto à confusione di quelli, che procurano d'impedirla ».⁴⁸ Et postea tractando de Moscovia dicit: « De le cose di Moscovia ho poco che dirli, poiche la speranza che s'haveva di ridur quel Gran Ducato a la divotione de la Sede Apostolica e svanita per morte di Demetrio, se bensì dice hora, che vive. Non resterò pero di dirli, che quando fosse aiutato il pensiero del Rutski, et che si introducesse la riforma de la regola di S. Basilio tra li Greci, come egli procura, si potrebbero col tempo allevare molte buone piante, che col la corrispondenza che hanno con Moscovia darebbero lume à quei popoli de la vera fede senza sospetto di volerli tirar per la forza a la obediencia debita al vero Vicario di Cristo ».⁴⁹

Revera « pia vota et desideria » Velamin Rutskyj Romae cum magna, immo maxima attentione considerabantur. Videmus etiam, Romae reformationem Basilianorum hoc anno 1606 tractatam fuisse et quidem in connexionem cum missione Velaminii Rutskyj. Videmus praeterea, instructionem a Cardinali Borghese datam non fundari simpliciter in memoriali Rutskyj, « De adiuvandis Ruthenis », sed potius in hoc statu rerum, qui Moscuae constitutus fuit; fortasse aliqua alia scriptura hac de re exarata, et colloquiis personalibus, Romae habitis, res tota explicata fuit.

Secundum meam opinionem, propositio Rutskyj pro creatione ramificationum Religionum occidentalium in ritu Rutheno, prout nimis difficilis et nondum matura ad acta reposita fuit, et tractationes hac de re super propositione immediate praecedenti habebantur. Ad talem mutationem non parum etiam Demetrii depositio et fuga e Moscovia contulit, prout de hac re etiam in dicta instructione memoratur, ex qua memorazione immediate ad propositionem Rutskyj devenitur.

In hac instructione, Nuntio Simonetta data, res tota executioni Nuntii inculcatur, et epistolae de hoc negotio ad Regem Poloniae, Episcopos et Senatores Regni promittuntur. Inde etiam concludi potest ipsum Rutskyj in toto hoc negotio se a parte tenere non potuisse, vel ingressu in aliquam Religionem latinam rem totam de-

⁴⁸ ASV, *Nunz. Poloniae*, vol. 173, fol. 142v-143.

⁴⁹ ASV, *Nunz. Poloniae*, vol. 173, fol. 147v-148.

relinquere. E contra ille ipse hac in materia quasi consiliarius inofficialis Nuntii nominatus fuit, qui Nuntium usque in minima huius negotii introducere debuit; certe etiam in reformationis Basilianorum modum, quia in hac reformatione totum hoc negotium et spes Unionis in Russia et Moscovia fundabatur. Recordemur, Joannem Rutskyj tunc temporis adhuc saecularem fuisse et sine ullo concreto proposito sese cum ritu Rutheno et Religione Basiliana stabiliter coniungendi, talis eius positio in hoc negotio, simpliciter ecclesiastico, inexplicabilis manet. E contra, si supponimus eum in persona propria negotium hoc executioni dare proposuisse, et statim omnia nobis clara evadunt. Ceterum, si Joannes Rutskyj Romae licentiam obtinuisse ad ritum latinum transeundi et in Religionem aliquam occidentalem latinam ingrediendi, potuit statim Romae Religionem intrare, praesertim, si agitur de Carmelitis discalceatis, quorum ipse tunc temporis praedilectionem habuit; quia Carmelitarum Provincia Polona nondum rite formata fuit, et Poloni ipsi in novitiatibus aliarum provinciarum educabantur. Sed noster Joannes Rutskyj in Patriam revertitur, eius proposita laudantur, approbantur et etiam Nuntio pro executione commendantur; ille ipse in itinere consiliarius Nuntii in rebus Ruthenis et Moscoviticis constituitur; post eius in patriam reditum Vilnam proficiscitur, ubi per aliquot menses expectando vivit, dum tandem ultimatim in monasterium SS. Trinitatis, Vilnae, intrat.

Iuste proinde quaeritur: estne hic modus procedendi alicuius iuvenis gravis, qui sibi proposuit ritui Rutheno valedicere, ut ritum latinum assumeret et Religionem aliquam latinam intraret, ut vult ex. gr. Guépin? Certe eius expectatio, immo potest dici cunctatio, in hac suppositione bene explicari non potest, praesertim si in fine huius expectationis ille tandem aliquid omnino oppositum fecit. Remotis tantis et tam magnis impedimentis pro aliquibus dubitationibus non potuit amplius esse ullus locus. E contra tamen, si supponimus (quae suppositio pro nobis probata est) eum in Lithuaniam rediisse cum proposito Religionis Basilianae reformandae immo cum aliqua quasi obligatione, a Summo Pontifice approbata (« reforma de la regola di S. Basilio tra li greci, come egli procura »), tunc tempus illud inter eius e Roma reditum et ingressum in monasterium SS. Trinitatis necessarium fuit, ut rem totam Varsaviae et Vilnae componeret, nempe cum gubernio Varsaviensi spirituali (episcopi) et saeculari (Rex et senatores), nec non cum Metropolita Rutheno Hypatio. Hisce rebus ordinatis et reformatione praeparata, ipse die 7. septembris vestem S. Basilij Magni sumpsit, ut iam die 1. januarii 1608 professionem monasticam emitteret.

*

Quod revera tempore hoc (11.XI.1606 - 7.IX.1607) « pia desideria » (= reformatio Basilianorum) Joannis Rutskyj non fuerunt oblivioni data, immo ab ipso Cardinali Borghese maxime urgebantur, videmus ex eiusdem Cardinalis Borghese ad Nuntium Po-

loniae epistola, de data 28.IV.1607, ubi hoc modo responditur ad petitiones metropolitae Russiae: « A la lettera del metropolita de la Russia si risponderà col seguente et si manderanno anco li Brevi, ch'egli ricerca per la Maestà del Rè, et per altri in raccomandatione dell'Unione. V. S. favorisca le cose sue con ogni officio efficace, ma si ricordi di metterli anco in consideratione i particolari contenuti nell'Instrutione essendo punti essentialissimi per conservare l'Unione ».⁵⁰ Ergo si post anni dimidium a S. R. Curiae Cardinali et Secretario Status Papae Pauli V, res a Joanne Rutskyj propositae et novo Nuntio Apostolico in Varsavia inculcatae ut « punti essentialissimi per conservare et accrescere l'Unione » (ib.) considerantur, tunc ipse horum « punctorum » auctor et anima — Joannes Velamin Rutskyj — non potuit sedere, brachiis in sinum plicatis, et dubitare utrum Societati Jesu an vero Ordini Carmelitano reformato nomen suum daret, et tandem in fine nec unum nec alterum facere. Debemus semper has duas res: a) propositum et quasi obligationem reformandi Basilianos, coram S. Sede susceptam, et b) ingressum in monasterium Basilianorum SS. Trinitatis, Vilnae, ut omnino intrinsece connexas considerare.

Ut videmus, solummodo in tali suppositione tota vita Joannis Rutskyj huius periodi omnino clara et « logica » est. Secundum tamen conceptionem huius periodi traditionalem, vita haec contradictionibus omnino scatet, quae characteri Joannis Rutskyj testimoniisque a viris gravibus de eo datis, omnino repugnat. Consecutio proinde est, ut talem conceptionem reiciamus, praesertim si sententia contraria solidis documentis contemporaneis, testium et spectatorum, bene probatur.

*

Ut tandem investigationem nostram concludamus, dicendum est: in vita Joannis Velamin Rutskyj huius periodi: 1603-1608, datur evolutio in eius conceptione quoad modum promovendi Sanctam Unionem Ecclesiae Ruthenae per reformationem status monachalis eiusdem Ecclesiae, sed non datur in hac eius vitae periodo aliqua fluctuatio interritualis, scil. inter ritum latinum et ruthenum, inter Religionem Basilianam et Religiones occidentales. Tamen quoad hanc evolutionem tria in hac periodo notantur tempora: 1) t. *Lithuanum* (1603-1605), quo tempore fundatio novi alicuius monasterii in Lithuania proponitur, auxilio uniceae missionis Religiosorum ex Ordine Carmelitano, qui in Lithuania ipsa quoad ritum et linguam Ruthenam transformentur et Basilianis assimiliuntur. 2) t. *Moscuense* (1605-1606-III), quo tempore reformatio Basilianorum Moscoviae (et consequenter etiam Russiae), auxilio Religiosorum occidentalium assequenda, proponitur, qui in ipso Occidente educati et ad hoc opus specialiter formati quoad vitam, ritum et linguam, in Monasteria Basiliana intrarent, spiritum religiosum et Ecclesiae

⁵⁰ ASV, Nunz. *Poloniae*, vol. 173, fol. 180rv.

Unionem propagando et stabiliendo; 3) t. *Romanum* (1606-VI-XI), quo tempore Religionibus occidentalibus proponitur formatio ramificationum in ritu Rutheno, in forma tamen non territoriali, sed potius stabilis missionis ex Occidente; quoad Basilianos hoc tempore Rutskyj remansit in positione temporis praecedentis;⁵¹ et practice, quando alia propositio derelicta fuit ad tempus « quando veniet hora Patris » (scil. remansit in sphaera theoriae), Rutskyj responsum affirmativum obtinuit solummodo quoad reformationem Basilianorum, quae reformatio e Secretaria Status Nuntio Varsaviensi et Regimini Regni Poloniae spirituali et temporali commendatur pro executione.

Personaliter Rutskyj primam conceptionem (in Lithuania exco-gitatam) praeferebat. Practice tamen debuit secundam (in Moscovia conceptam) sua activitate Metropolitana peragere; tertiam conceptionem (Romae formatam) solummodo theoretice, ut ideale, commendabat.

Quoad primam conceptionem Metropolitanam Hypatium et alios in Lithuania fautores habuit; secundam Sedes Apostolica sua auctoritate commendabat; tertia vero Superioribus Religionum occidentalium magis arridebat.

Sed in tota hac evolutione Rutskyj semper in fundamento ritus Rutheni et linguae manet, quae evolutio simul personalis est. Proinde dicendum: tota haec periodus intra limites ritus Rutheni remanet et interrituali fluctuationi locus non datur. Inde etiam juvenem Joannem Rutskyj hac periodo « in exitu viarum » ponere, secundum sententiam traditionalem, non est amplius locus.

⁵¹ E contra A GUÉPIN (I, 53) dicit, Rutskyj de vitalitate Ordinis Basiliani in Russia omnino desperasse, quod non videtur esse verum, neque an. 1604 neque 1606.

Prof. G. PAPP.

I MONACI DELL'ORDINE DI S. BASILIO IN UNGHERIA NEL SECOLO XIII

Da una lettera del Papa Innocenzo III del 16 aprile 1204 indirizzata al vescovo di Várad e all'Abate di Pilis, apprendiamo che all'inizio del sec. XIII il re ungherese Emerico (1195-1204) aveva chiesto al Papa Innocenzo III di costituire un vescovato separato dei monasteri greci in Ungheria.

«Significavit nobis... rex Ungarorum illustris, quod quedam ecclesie monachorum Grecorum in regno Ungarie constitute, per incuriam diocesanorum episcoporum, et per ipsos Grecos, qui valde sunt, sicut asserit, dissoluti, penitus destruuntur, a nobis supplicans... ut auctoritate nostra unus fieret episcopatus ex ipsis, qui nobis nullo mediante subesset, vel abbates seu prepositi Latini constituerentur in illis, per quorum studium et diligentiam earundem ecclesiarum status posset in melius reformari. Mandamus, quatinus ad predictas ecclesias accedentes, inquiratis... utrum per ipsos monachos Grecos eadem monasteria in religionis observantia valeant reformari utrumne, de diocesanorum episcoporum consensu, unus fieri poterit episcopatus ex illis, qui nobis immediate sit subiectus, et quod super iis inveneritis, fideliter conscribentes,... ad nostram presentiam destinatis, ut... securius in eodem negotio procedere valeamus ».¹

Poco dopo (il 14 settembre 1204) Innocenzo III inviò una lettera al re Emerico in merito all'elezione dell'abate di uno dei monasteri in Ungheria. In questa lettera possiamo leggere quanto segue:

«Quia vero nec novum est, nec absurdum, ut in regno tuo diversarum nationum conventus uni domino sub regulari habitu famulentur, licet hoc unum sit tibi Latinorum coenobium, cum tamen ibidem sint multa Grecorum ».²

(Naturalmente per «Latinus» bisogna intendere «natione latinus», come è chiaro già nella prima parte della lettera).

Il problema che noi adesso dobbiamo affrontare è quello di sta-

¹ *Reg. Vat.* 5. fol. 122v. nr. 27. Ed BRÉQUIGNY, II. 2. 483; FEJÉR, II. 429; MIGNE, P. L. 215. 332; THEINER, *Mon. Slav. Merid.* I. 33; *Mon. R. Epp. Vesprim.* I 12, nr. 14; HALUSCYNKYJ, *Acta Innocenti III.* p. 269.

Quando Ecclesia Ruthena sese in concilio Berestensi anno 1596 Ecclesiae Catholicae univerat, multa negotia Romae tractari coeperunt. Ipsum obedientiae reddendae negotium, ut pro Unione factum fundamentale, ab Episcopis Hypatio et Cyrillo personaliter nomine totius Metropoliae Kioviensis perfectum fuit. Sed hoc negotio fundamentalij perfecto alia, quae temporum successu occurrebant, via epistolari tractabantur, quod propter distantiam non tam bene procedere potuit. Ideo non mirum est nisum aliquem apparere, ut negotia vitalia Ecclesiae Ruthenae non per chartam mortuam, sed viva et personali intercessione ad effectum deducantur. Sed solummodo in aliquibus specialibus casibus negotia haec initio sec. XVII personaliter pertractari potuerunt.² Ita ex. gr. anno 1606 Joannes Rutskyj, adhuc saecularis existens, obedientiam Paulo V. nomine Metropolitae Kioviensis reddidit, aliasque res tractabat; secunda vice, jam Metropolita Kioviensis nominatus, anno 1615 iterum Romam festinavit ad «limina Apostolorum», multaque hac occasione obtinuit.

Interim vero S. Unioni in Polonia tempora dura et periculosa advenerunt, quae ab omnibus derelicta Romae auxilium petere coacta fuit, quod non tam facile via epistolari obtineri potuit. Inde activitas procuratoria Alumnorum Ruthenorum Collegij Graeci in Urbe necessaria evasit.

¹ RUDOLF V. HECKEL, *Das Aufkommen der ständigen Prokuratoren an der päpstlichen Kurie im 13. Jahrh.* (Miscell. Fr. Ehrle, vol. II. Roma 1924, S. 290-321); Cfr. H. BRESLAU, *Handbuch der Urkundenlehre*, II², S. 3 f; N. HIL-
LING, *Die römische Kurie*, 1906; P. HINSCHIUS, KRI, 400 etc.

² Ita ante annum 1606 negotia Metropolitae Kioviensis a P. Pietro a Matre Dei (Carmelitano Discalc.) tractabantur; anno 1609-10 idem P. Petrus Arcudius faciebat.

Ab anno 1617 novum factum in Ecclesia Ruthena hunc personalem recursum adhuc magis necessarium reddidit. Formata est nempe alia persona moralis, ponderis in historia Ecclesiae Ruthenae in posterum maximi et procuratorum in Urbe capax — instaurata fuit Congregatio Monachorum S. Basilij SS. Trinitatis.³ Inde ex usu in Religionibus occidentalibus diu iam vigente nova occasio Procuraturae aliquae Ruthenae in Urbe data est.

In historiographia Ecclesiae Ruthenae hodie generatim opinio viget, usque ad annum 1639, id est usque ad formationem Residentiae Romanae SS. Sergii et Bacchi, negotia Eccl. Ruthenae ab Alumnis Ruthenis in Coll. Graeco degentibus tractata esse.⁴ Unus ex. gr. auctorum modernorum scribit: « Post Unionem Ecclesiae Ruthenae Rerestensem anno 1596 conclusam — munere procuratorum occasionalium Hierarchiae Ruthenae fungebantur ordinarie studentes, qui fere exclusive monachi erant, in Collegio Graeco S. Athanasii degentes ».⁵

Talis est status quaestionis his temporibus. Nec mirum totam attentionem doctorum in periodum post annum 1639 dirigi et tentari seriem Procuratorum in Urbe eorumque figuram iuridicam delineare.

*

Etsi Institutum hoc parum elaboratum est, datur tamen iam triplex Procuratorum in Urbe elenchus. Hic esse videtur quasi triplex redactio unius eiusdemque elenchi, qui a P. Jordano Mickiewicz, paenultimo Procuratore Generali in Urbe, exarabatur.⁶ Primum exemplar in vol. 18 Archivi Procuratoris Generalis in Urbe invenitur; ⁷ altera copia erat in Tabulario S. Congr. de Prop. Fide; innixus hisce duobus, vel potius ultimo elencho,⁸ D. Blazejowskyj dedit tertiam redactionem eiusdem elenchi Procuratorum, complendo seriem a P. Mickiewicz exaratam, innixus suis in Tabulariis Romanis studiis.

Si istae tres redactiones comparantur, pro periodo, de quo a nobis quaeritur, talem praebent imaginem:

<i>Arch. Proc. Gen. vol. 18;</i>	<i>Archiv. PF.</i>	<i>D. Blazejowskyj</i>
1622: Joan. Gruzewski	1622: Joan. Gruzewski	1622: J. Gruzewski;
1639: Philip. Borowich	1639: Ph. Borowicz	1639: Ph. Borowyk;
1646: Gr. Benkowskyj;		1646: Gr. Benkowskyj;
1656: M. Bilozor;		1656: M. Bilozor;
1665: Jos. Pietkiewicz	1665: J. Petkiewicz;	1665: J. Petkewycz;

³ J. V. RUTSKYJ, Epist. ad Card. Borghese, de data 2. sept. 1617.

⁴ Cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *De potestate Metrop. Kiowien. Cathol. in Clerum Regularem*, Romae, 1943; M. WOJNAR, *De Regimine Basilianorum Ruthenorum...* (manuscr.), Romae, 1947.

⁵ M. WOJNAR, *op. cit.*, cap...

⁶ P. JORDAN MICKIEWICZ, OSBM, Proc. Gen. ann. 1788-1826.

⁷ *Catalogus Archivi Proc. Gen. in Urbe*, vol. 18, fol. 708; C. KOROLEVSKYJ.

⁸ A. P. F. *Ospizio dei Ruteni-Pascolo*, vol. II: an. 1800-1825; (non numer.)

Ex tabella supra posita elucent indoles et dotes uniuscuiusque elenchi; completior omnium est series a D. Blazejowskyj exarata. Sed ex altera parte non explicatur cur sileat de Joanne Gruzewski exemplar in Archivio Procuratorum in Urbe asservatum? et cur D. Blazejowskyj secutus sit alterum et non primum?

Hodie non invenitur iam exemplar authenticum in Tabulario S. Congr. de PF., et proin difficile est aliquam inquisitionem palaeographicam instituere, ut origo Joannis Gruzewski in seriè Procuratorum diluceat. Tentandum est hoc alia via assequi.

Procedamus ex ipsa quaestione in titulo articuli posita. Huic addenda est altera: fuitne ille primus procurator? Nam evidens est, quod Alumni negotia ecclesiastica procurantes non computantur; agitur ergo de Procuratore ut tali et quidem stabili. Ad unam et alteram quaestionem responsum datur simpliciter negativum.

Concedendum quidem est, Joannem Gruzewski fuisse Romam missum, sed non ad negotia Ecclesiae Ruthenae tractanda. Nostra solutio problematis bene et sufficienter probatur.

*

Existit ep̄stola Josephi Velamini Rutskyj anni 1622, die 28 iulii e Novhorodok ad Alumnos Collegii Graecorum in Urbe missa. In Collegio studebant hoc anno P. Adrianus Podbereski et Raphael Korsak, Basiliani Rutheni.⁹ In sua epistola Rutskyj scribit: « Proficiscitur in Urbem R. P. Joannes Gruzewski, intimus noster et nobis optime notus electus Procurator Provinciae Lithuaniae; per hunc istas ad vos mitto litteras ».¹⁰ Epistola, quae nunc in Archivio Coll. Graeci, Romae, asservatur, fuit revera a dicto Patre Romam allata. Eius adventus Romam potest dici certus. Et nunc ad ipsam personam R. P. Joannis Gruzewski. Metropolita Rutskyj indicat in eadem epistola relationem dicti Patris ad suam personam (et inde quasi ad totam Ecclesiam Ruthenam), designatque munus et finem itineris Romani dicti Patris, scribens: « proficiscitur », inde concludimus: ergo non est missus a Metropolita. Hoc constat ex stylo epistolari Metropolitae Rutskyj, ut infra videbimus; « intimus noster et nobis optime notus » (ib.). Hoc modo Rutskyj non scribit neque de suis monachis, neque scribere potuit de aliquo sacerdote saeculari, quem mitteret ad tale responsabile munus et fiduciale. Certe non potuit tali stylo uti de suo procuratore mittendo. Concludendum: P. J. Gruzewski non solum non fuisse a Metropolita Rutskyj missum, sed ei proficiscenti neque aliqua negotia fiducialia commissa fuerunt. Ille fuit solummodo « electus Procurator Provinciae Lithuaniae » (ib.). Porro Ecclesia Ruthena huius temporis numquam ponebatur sub nomine « Provinciae Lithuanicae ». E contra ex ipso

⁹ P. Adrianus Podbereski (sacerdos) et Diac. R. Korsak, ab anno 1621 (XII).

¹⁰ J. V. RUTSKYJ, Epist. ad Alumnos, de data 22.VII.1622; Arch. Col. Gr. v. I.

stylo Metropolitanae Rutskyj scimus, talem designationem competere Provinciam Ecclesiasticam ritus Latini in Lithuania. In una epistola Romam missa occasione litis de praecedentia in consecratione Episcopi nominati Samogitiae, Stanislai Kiszka, Vilnae in Lithuania scribit: « sed ubi ad locum consecrationis destinatum, Vilnam in Lithuania, convenimus... ad quam plurimi Provinciae illius Proceres convocati erant... ».¹¹ Inde conclusio obvia est: Gruzewski fuit missus utpote Procurator illius Provinciae, certe non in negotiis Ecclesiae Ruthenae. Nam in eadem epistola scribit Rutskyj: « Excerptum litterarum quas scribo ad Ill.mum Card. Ludovisium in nostris necessitatibus mitto vobis, date meas litteras ipsi et *procurate* (subl. a nobis), ut potestis obtinere ea, quae scripsi apprimè nobis necessaria... tria in illis litteris petimus, ex quibus si necessitas poscet facere poteritis memoriale ».¹² Ad minimum ut prohibeatur transitus ex Religione nostra ad latinam diligentissime *procurate*... ».¹³ Videmus revera Metropolitam suis Alumnis negotia committere, quae Procuratorum sunt. Inde ipse utitur ibi verbo « *procurate* », facite « memoriale », quod est terminologia Procuratoribus propria.

Si ergo Gruzewski mitteretur Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae, tunc omnia supra dicta in epistola Rutskyj inter se pugnant. Ad quid tunc Alumnos a suis occupationibus scholasticis avocare, si P. Gruzewski est Procurator in Urbe, prout stat in elenchō D. Blazejowskyj? Scimus enim ex documentis huius periodi, Rectores Collegii Graeci difficiles fuisse pro licentia concedenda ad frequentiores Alumnorum Ruthenorum e Collegio egressum, etiam ad negotia totius Ecclesiae Ruthenae tractanda. Ita Alumni anno 1638 (7.VI) Secretarium Ingoli litteris rogant, ut eis responsum ad Collegium mitteretur, « perche il Padre Rettore non da facilmente se non dopo molte parole la licenza et questa rimproverando ch'usciamo per li negotii del nostro Monsignore e qualche volta di Giosafat Martyre nostro o della Chiesa nostra... ».¹⁴ Metropolita Rutskyj cognoscebat certe difficultates non solum externas, sed etiam internas suorum Alumnorum negotia Ecclesiastica, dum student, tractantium. Ita anno 1633 ad Secretarium Propagandae scribens, dicit: « Mitto quidem duos meos Patres ad Collegium Graecum, quos et D. V. Rev.mae cordialiter commendo. Ex illis et sciet illa quae de nobis rebusque nostris scienda, sicuti quae tacenda et dolenda. Sed tamen illis *novum procurae mandatum* (subl. a nobis) demandare nolui eo quod occupatio scholastica eorum non patiatur talem distractionem ».¹⁵

¹¹ J. V. RUTSKYJ, Epist. Vilna, die 12.X.1619, ad card.

¹² J. V. RUTSKYJ, Ad Alumnos, ut supra.

¹³ IBIDEM.

¹⁴ Phil. BOROWYK et Josaphat ISAKOWICZ, 7.VI.1638; APF, *Lettere ant.* vol. 137, f. 217.

¹⁵ RUTSKYJ, Epist. an. 1633, l. III, in APF, vol. 75, fol. 357r.

Inde neque obiectio potest admitti ut vera, quae diceret, quod Alumnis anni 1622 commendantur negotia utpote hac in re iam peritis, sed tota directio et responsabilitas penes P. J. Gruzewski erat. Si sumantur verba Metropolitae Rutskyj sensu obvio, obiectio nullo fundamento inniti apparet. Nam in fine epistolae, iam saepius citatae, Metropolitae scribit, postquam jam benedictionem Dei super Alumnos suos invocavit (ideo quasi per transennam): « A R. P. Gruzewski consilium capite et auxilium requirite in omnibus quae agenda vobis occurrerent » (ib.). Inde patet, P. Gruzewski solummodo Alumnorum Ruthenorum consiliarium et adiutorem fuisse non vero procuratorem. Quod ad auxilium et consilium pertinet res naturalis agitur. Ex Lituania enim erat oriundus, ipsi Metropolitae « intimus » et « optime notus »; altera ex parte Alumni regulis Collegii Graeci ligati non potuerunt tot scribere et facere, quot vir maturus et gravis ad hoc negotium Procuratoris specialiter missus. Inde si Metropolitae non ei, sed Alumnis negotia sua procuranda commendat, certe dicendum est, quod ille, qui Alumnis in hisce negotiis « consilium, imo et auxilium » praestare debuit, non fuit a Metropolitae destinatus Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe.

*

Si ita est, cur tamen nomen hoc in catalogo Procuratorum apparuit? Res valde simplex mihi esse videtur: nihil aliud nisi additio privata alicuius « archivistae » in Propaganda, qui invento nomine « electus Procurator Provinciae Lithuanae » putavit « Provinciam Lituanam » esse Provinciam Lituanam Ordinis S. Basilii Magni saec. xviii, et inde cum tali anachronismo P. Gruzewski illi Procurator in Urbe huius provinciae possibilis evasit. Nos vero scimus: « Provincia Lituana » saec. xvii et « Provincia Litwana » saec. xviii in stylo Curiae Romanae sunt duae simpliciter diversae res. Inde et R. P. Joannes Gruzewski non fuit nostrae Provinciae Lithuanae Procurator. Proinde ex Catalogo Procuratorum Generalium nostrae Ecclesiae et Ordinis Basiliani est eliminandus. Certum remanet: anno 1622 negotia Ecclesiae Ruthenae in Urbe adhuc Alumni Rutheni in Collegio Graeco studentes procurabant. Erant nominatim: P. Adrianus Podbereski et Diac. Raphael Korsak, qui officium hoc usque ad suum ex Urbe discessum obtinebant.¹⁶

Et quis nam fuit tandem iste R. P. Joannes Gruzewski?

In Processu ad Beatificationem Servi Dei Josaphat, Martyris Unionis, anno 1628 Polociae exarato, Archiep. Polocensis, Antonius Sielawa, sub iuramento deponens in causa Josaphat, cognoscit « R. P. Joannem Gruzewski ut Praepositum Domus Varsaviensis Societatis Jesu, sacrae Theologiae Doctorem »¹⁷ et eius testimonium

¹⁶ Discessit Korsak: 28.XII.1624; Podbereski 24.VIII.1626.

¹⁷ *Processus Rituum*, vol. 2287, fol. 51v; ASV.

in causa Josaphat adducit. Erat ergo vir insignis. Inde etiam tota eius positio in causa « procuraturae » clara est: erat capax consilii et auxilii, sed non agendi procuratorem Ecclesiae Ruthenae stabilem.

Proinde ut simplex ignorantia haberi debet opinio auctoris Poloni Humbold z Polocka, qui in suo articulo de Metropolita Raphaele Korsak anno 1906-07 hoc modo scribebat: « Istniejaca nad Tybrem ad roku 1622 prokuratura bazylianska z ojcem Gruzewskim na czele, nie byla juz w stanie przeciwdzialac misyi olsniewajacego posla polskiego ».¹⁸ Ut scimus, auctor agit de missione anni 1633 et Raphaelis Korsak in Urbem itinere.

Quid post annum 1622-23 in causa procuraturae Ruthenae in Urbe evenerit, videbimus in alio articulo. Ex nostra tamen investigatione certum remanet, Joannem Gruzewski (S. J.) Procuratorem Ecclesiae Ruthenae nunquam fuisse. Unde sententiae, supra citatae similes hodie nullomodo admitti possunt, ut D. Blazejowskyj adhuc anno 1943 fecit.

II. PRIMUS « PROCURATOR NEGOTIORUM ECCLESIAE RUTHENAE » in URBE

P. Nicolaus Novak (Novacius), Basilianus; 1626-1633.

Institutum Procuratorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe stabilium Procuratorum in Urbe stabilium tantum ab anno 1639 initium supponimus.¹ Usque ad annum 1625 periodus « procuratorum » occasionalium adhuc perdurat. Sed jam anno 1625 in historia Procuraturae Ruthenae in Urbe eventus vere novus datur, ex quo periodus nova huius instituti incipi debet. Sed de facto eventus hic in litteratura respectiva simpliciter neglectus fuit et periodus nova Procuratorum in Urbe stabilium tantum ab anno 1639 initium coepit.

Investigando periodum Metropolitae Rutskyj in Tabulario S. C. de Propaganda Fide multa documenta originalia inveni, ex quibus intelligitur: sub finem anni 1625 mittitur Romam primus « Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae » stabilis, ad hoc munus primario delegatus. Primus ille « Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae » designatus a Metropolita Rutskyj, fuit Presbyter ex Ordine Basiliano — P. Nicolaus Novak (Novacius).³ Et revera in Archivio S. C. de Propaganda Fide inveniuntur tam clara documenta hunc eventum comprobantia, ut de hoc facto historico ne minimum quidem dubium dari potest. Mirandum ergo valde, nomen Novacii in elenchis Procuratorum Ruthenorum non inveniri, etiam tempore recentissimo exaratis (cfr. D. Blazejowskyj, *De potestate Metropolitanorum Kioviensium Catholicorum in Clerum Regularem, Romae* 1943).

¹⁸ HUMBOLD Z POLOCKA, *Rafal Korsak, Metropolita Rusi*, in « Przegląd historyczny », vol III (1906), pp. 351-374, vol. IV (1907) p. 48.

*

Circa initia, impulsus et fines huius stabilis instituti fons primarius sunt litterae Metropolitanae Rutskyj ex anno 1625-26. Prima omnino notitia, quae hodie cognoscitur, habetur in epistola Rutskyj de data 2. septembr. an. 1625. Qua in epistola inscripta Cardinali Ludovico Ludovisio Rutskyj conqueritur de difficultatibus communicationis epistolaris cum Roma: «Propter pestem grassantem in hoc Regno non potest mihi esse frequentior communicatio prouti vellem et deberem cum Ill.ma ac Rev.ma D. V. Mittam tamen ad summum post duos menses unum ex meis qui resumet omnia ab illo puncto in quo a me cessatum est. Nunc consulto mitto unum ex familiaribus meis ex occasione mortis Athanasii Pacostae Episcopi Chelmensis». ² En circumstantiae et fortasse occasio immediata missionis Procuratoris stabilis. In alia epistola postridie eius diei (3.IX.1625) ad eundem Cardinalem iam primum negotium concretum designatur, quod iste Procurator proxime mittendus pertractare debet; «Etsi de Seminario quod ut a nobis Episcopis Ruthenis initium sumat S. Congregatio de Propaganda Fide vult, per eum quem in negotiis Ecclesiae meae post unum vel duos menses mittere debeo, cum Ill.ma ac Rev.ma D. V. transigere volo...». ⁴ Videmus in hac secunda epistola «initiativam» transponi; nam Rutskyj scribit de ista missione uti de aliquo «debito». Fortasse totum hoc negotium a S. Congregatione de Propaganda Fide motum fuit. Nam tribus post mensibus Rutskyj ad Secretarium Franciscum Ingoli hoc modo scribit: «Consilium Rev.mae D. V. de mittendo uno ex nostris ad Urbem pro Negotiis S. Unionis apud Sacram Congregationem de Propaganda Fide, tamquam nobis saluberrimum utraque manu complectimur; et statim posquam pestis cessare coepit expedio unum ex monachis Ordinis S. Basilii, Patrem Nicolaum Novacium — Presbyterum». ⁵ Quod revera simillimum est veri, missionem hanc fuisse «ideam» Secretarii Ingoli, qui Ruthenis vere addictus fuit et officium suum Secretarii pleno cum sui ipsius sacrificio tractabat. Ex ep. R. Korsak de data 10.II.1626, apparet eum jam in suo e Roma discessu hanc causam tractasse (A.P.F. Lett. antiche, vol. 56, fol. 62). Vidimus etiam quod hisce tribus mensibus

¹ Frustra proinde scribit HUMBOLD z POŁOCKA in suo opere de R. Korsak: «Istniejaca nad Tybrem od 1622 r. prokuratura bazylianska z ojcem Gruzewskim na czele, nie byla juz w stanie przeciwdzialac misyi olsniewajacego posla polskiego» (p. 48). Agitur de anno 1633. (Rafal Korsak metropolita Rusi, in «Przegląd historyczny», vol. IV. (1907), p. 48).

² E. SMURLO, *Le Saint Siege et l'Orient Orthodoxe Russe 1609-1654*, Prague, 1928, p. 64 (I): nominat eum: «P. Nicolaus Novitski» (Index nominum), sed non recte, nam ipse Korsak nominat eum in Ep. de data 16.III.1626: «Nicolaus Novak» (A.P.F. Lettere antiche, vol. 56, fol. 65).

³ APF, *Lettere antiche*, an. 1626, vol. 56, fol. 10.

⁴ APF, *Lettere antiche*; an. 1626, vol. 56, fol. 9.

⁵ APF, *Lettere antiche*; an. 1626, vol. 56, fol. 91.

(IX-XII) contigit designatio personae futuri Procuratoris. Electus fuit P. Nicolaus Novak (vel latinizando pro more temporis: Novacius), monachus Basilianus ab anno circiter 1610,⁶ unus participantium in Capitulo Generali anni 1623, Ruthae habito.⁷ Erat vir ad tale negotium propter suas qualitates personales aptus. In epistola commendatitia ad Secretarium Status Nuntius Apostolicus e Varsavia scribit de illo: « L'oggetto di gran bontà. Nobile e d'approvato valore... l'ottimo ha qualita... ».⁸

*

Qualis ergo fuit finis et scopus huius procuraturae Novacii? Qualesnam fuerunt eius muneris limites?

Finis et limites procuraturae illius tribus epistolis Metropolitae Rutskyj de data 10. decembris 1625, ad Papam Urbanum VIII, Card. Ludovicum Ludovisium, Praefectum S. C. de P. F. et eiusdem Congregationis Secretarium, Franc. Ingoli, designati fuerunt. In sua epistola ad Papam scribit Rutskyj modo generali. En ipsius clarissima verba: « Ut bene sit membris oportet ut arctissime sint unita suo capiti; membra nos sumus, Tu Caput nostrum, Beatissime Pater, cui fuimus hucusque uniti, et esse semper in posterum volumus; quod ut non tantum perpetuo conservetur sed etiam augeatur, quaerendi erant nobis alii et alii modi exactioris communionis cum Beatitudine Vestra. Is inter alios usus est oportunus, quem nondum hucusque adhibuimus, ut sit unus ex nostris perpetuo residens in Urbe, qui possit praesens referre nostra Beatitudini Vestrae, et vicissim discere ab Ipsa nobisque significare, quid a nobis nunc et in posterum Beatitudo Vestra requireret. Quorirca unum ex Fratribus meis Monachis S. Basilij Praesbyterum, Patrem Nicolaum Novacium mitto, qui primo obedientiam nomine meo et Confratrum meorum Episcoporum Russiae Beatitudini Vestrae debitam praestabit, ac tandem de statu Ecclesiae Ruthenae, qualis sit, dicet. Et si quae alia de nobis obsequentissimis filiis Beatitudo Vestra scire desiderabit, suggeret ».⁹ Hac epistola character, finis limitesque officii procuratorii sunt designati. In epistola ad Card. Lodovisium Rutskyj etiam titulum huic officio jam assignavit: « qui sit in Urbe perpetuo residens, tanquam Procurator Negotiorum Ecclesiae nostrae Ruthenae, et de omnibus quandocumque requisitus fuerit, informare possit Curiam Romanam ».¹⁰ Sed in sua tertia epistola Secretario Ingoli inscripta, Rutskyj nihil quicquam hac de re, ne verbo quidem scribit, quod opinionem nostram de « iniciativa » Ingoli in

⁶ APF, *Lettere antiche*, an. 1626, vol. 56, fol. 16.

⁷ ARCHEOGR. SBORNYK, vol. XII: *Liber Capitulorum*, p. 29; Jam antea, 1617, fuit magister in schola Minscensi, Cfr. *Akty Juznoj i Zapadnoj Rossiji* II, Nr. 45: Mynskija Hramoty. Nr. 62.

⁸ APF, *Lettere antiche*, an. 1626, vol. 56, fol. 16.

⁹ *Barb. lat.*, Nr. 6648, fol. 121.

¹⁰ APF, *Lettere antiche*, an. 1626, vol. 56, fol. 90.

hoc negotio denuo confirmat. Idem fere scribit Rutskyj ad omnes Cardinales Congr. de Prop. Fide anno 1626, die 30. Januarii: « Ut sit aliquis ex nostris perpetuo residens in Urbe, qui Sacrae Congr. de Prop. Fide nostra plenius referre, quam per litteras explicaremus, posset, et his tantum negotiis perpetuo vacans... idem de statu Ecclesiae Ruthenae certiores faciet S. Congr. de Prop. Fide, et de reliquis rebus, de quibus illa requireret, informationem dare paratus erit ».¹¹

Si hi textus spectantur, qui in seipsis nullam habent difficultatem neque obscuritatem, negotium Procuratoris ecclesiastici, secundum praxim Curiae Romanae clare delineatum est. Procuratur in favorem partis utriusque designatur, est mediator officialis, perpetuus, stabilis, qui dat informationes et etiam agit nomine sui mandatoris. Oculis se obicit in epistolis istis, Metropolitam Rutskyj semper characterem stabilem huius procuraturae sublineare eiusque exclusivitatem commendare. Non est tamen mirandum, si consideratur factum, usque ad hunc annum 1625 « procuratores » Ecclesiae Ruthenae esse designatos studentes in Collegio Graeco, qui proinde « procuraturam » solummodo ut negotium secundarium tractabant habebantque etiam in hoc munere adimplendo difficultates ex parte Superiorum Collegii; ex altera parte hi studentes, vel alii ad aliquod negotium specialiter a Metropolita missi, saepe mutabantur cum detrimento Ecclesiae Ruthenae. Deerat enim talibus « procuratoribus » praxis curialis. Inde provenit accentus Metropolitanae Rutskyj nec non ex suggestionem Secretarii Ingoli, cuius etiam hoc intererat, ne semper in negotiis gravissimis cum hominibus sine ulla experientia tractaret.

*

In quaestione de limitibus officii procuratorii P. Novacii non habemus documentum summi valoris, id est: « litteras credentiales Metropolitanae Russiae, quibus illum Agentem apud Sedem Apostolicam pro Ruthena Ecclesia Unita declarabat... ».¹² Sed epistolae supra citatae et activitas P. Nicolai, prout elucet ex Archivio S. C. de Prop. Fide, ostendunt, eum plena facultate gavisum esse qua illis, temporibus procuratores aliarum Ecclesiarum gaudebant. Ideo transeamus ad quaestionem de tempore missionis P. Nicolai, seu de initio procuraturae Ecclesiae Ruthenae in Urbe stabilis.

*

Die 2.IX.1625 Rutskyj scribebat de missione « ad summum post duos menses »;¹³ die 3.IX.1625: « post unum vel duos menses »;¹⁴ sed adhuc die 10.XII.1625 Novacius non fuit missus « propter pe-

¹¹ APF, *Lettere antiche*, an. 1626, vol. 56, fol. 89.

¹² APF, *Acta*, vol. 4, fol. 67, n. 1.

¹³ APF, *Lettere antiche*, vol. 56, fol. 10.

¹⁴ APF, *Lettere antiche*, vol. 56, fol. 9.

stem grassantem in hoc Regno »;¹⁵ promittit vero se id facturum « statim postquam pestis cessare coepit »;¹⁶ sed negotium protrahatur ita, ut adhuc die 30.I.1626 « negotia Unionis » requirebant, « ut cum maiore efficacia transigantur, quae iam statuta sunt et ad finem optatum quamprimum perducantur »;¹⁷ « mittimus ergo » (ib). Sed etiam tunc Novatius non est profectus Romam, nam Nuntius Apostolicus Varsaviensis solummodo die 5.III.1626 eum sua ex parte Curiae Romanae commendabat.¹⁸

Quibus ex documentis concludi potest Novacium profectum esse Romam inter diem 30.I.1626 et diem 5.III.1626 ita, ut initio mensis iunii Romam ingredi posset. R. Korsak in sua epistola e Varsavia 1.III.1626 scribit P. Nicolao, ut de eius « praesentis litterae latore » (A. P. F., Lett. ant., vol. 56, fol. 70v). Ut « post scriptum » ad littetas Metropolitae ad Franciscum Ingoli, de data 10.XII.1625, legimus: « mitto nunc ad Collegium Graecum duos, unum nepotem meum ex sorore Adamum Copetz, alterum Religiosum Philonem Tischevitium Diaconum... ».¹⁹ Sed dicendum, hos duos alumnos mense decembri anni 1625 profectos non esse propter rationem generalem: « pestem grassantem in hoc Regno ». Scimus tamen hos duos alumnos in Collegium graecum die 15. iunii 1626 admissos fuisse, quod certe non multo post tempus eorum in Urbem adventus evenit; deerat enim domus aliqua specialis pro Ruthenis in Urbe degentibus, ubi dicti alumni diutis commorari potuerunt.²⁰

Nostram conclusionem mediatam esse rectam ostendunt « Acta » S. C. de Prop. Fide, ubi sub data 16.VI.1626 legitur: « In ea primo fuit admissus P. Nicolaus Novaccius Monachus S. Basilii Ruthenus unitus, qui praesentavit litteras credenciales Metropolitae Russiae, quibus illum Agentem apud Sedem Apostolicam pro Ruthena Ecclesia unita declarabat, et Sanctissimum et S. Congregationem rogabat, ut eum tanquam talem admitterent, et iis quae nomine suo et Ecclesiae Ruthenae relaturus esset plenam adhibere fidem dignaretur ».²¹ Ergo Novatius initio iunii 1626 Romae iam inveniebatur, iter una cum alumnis Romam missis faciens. Proinde a die 16.VI.1626, quo die Novatius in Congregatione Generali S. C. de Procuratorum ab hoc anno suum initium ducere debet, quia scribit siae Ruthenae stabilis uti erecta considerari debet. Inde et series Procuratorum ab hoc anno suum initium ducere debet, quia scribit ipse Metropolitae ad Urbanum VIII, de hoc « opportuno usu » (sc. procuraturae stabilis) ut tali: « quem nondum hucusque adhibuimus ».²²

¹⁵ APF, *Lettere antiche*, vol. 56, fol. 10.

¹⁶ APF, *Lettere antiche*, vol. 56, fol. 91.

¹⁷ APF, *Lettere antiche*, vol. 56, fol. 89.

¹⁸ APF, *Lettere antiche*, vol. 56, fol. 16.

¹⁹ APF, *Lettere antiche*, an. 1626, vol. 56, fol. 91.

²⁰ ARCH. COLL. GRAECI, Nr. 14, fol. 7v-8.

²¹ APF, *Acta*, vol. 4, fol. 67, n. 1.

²² *Barb. latinus*, Nr. 6648, fol. 121; Neque enim est verum P. Novacium

*

Et revera si spectantur documenta Ecclesiam Ruthenam concernentia, activitas Procuratoris in Urbe ab anno 1626 luce clarior apparet. Praeter innumeras supplicationes ab eo nomine Ecclesiae Ruthenae eiusque Metropolitae S. C. Prop. Fide praesentatas,²³ consideranda est nobis eius activitas in causa admissionis formularii Missae in lingua ruthena, in causa residentiae procuratoriae in Urbe nec non eius in beatificatione Servi Dei Josaphat partes.

Quoad primum legitur in « Actis » S. C. de Prop. Fide sub data 28.VII.1626: « Petente Fratre Nicolao Monacho Rutheno S. Basilii et Metrop. Russiae Agente licentiam celebrandi missam in Illyrica lingua, S. C. mandavit liturgiam, qua Ecclesia Ruthena utitur diligenter examinari et recognosci, an sit conformis in omnibus et per omnia liturgiae S. Joannis Chrysostomi, et si conformis inveniatur, censuit licentiam petitam oratori concedendam esse celebrandi sacrum in privatis oratoriis. Eodem die Sanctissimus decretum S. C. approbavit ».²⁴ Certe, causa, prout stat, est ad minimum valde curiosa; simul tamen ostendit Ruthenos in Urbe fuisse homines vere novos.

Hoc eodem anno conformitas liturgiae in lingua ruthena recognita fuit. In Archivio Propagandae dantur tria vota hac de re: ipsius Nicolai Novatii, Petri Arcudij et Joannis Tomchi Marnaviti Archidiaconi Zagabriensis.²⁵ Haec mense augusto 1626. Ex voto P. Nicolai et adnotationibus Secretarii Ingoli motae fuerunt quaedam difficultates. Votum Petri Arcudij et Joannis Tomchi omnino favorabile fuit. Inde S. C. de Prop. Fide in sua congregatione 62, die 13. augusti 1626, decrevit: « supradictas difficultates committendas esse Sancto Officio, ut a Theologis examinari possint, et deinde referri in aliqua congregatione coram Sanctissimo habenda ».²⁶ Ultimatum votum S. Officii positivum fuisse apparet, et liturgia ruthena in Urbe admissa fuit.

Licentia ruthenice celebrandi die 28.VII.1626 sub conditione data, celebrationem hanc ad oratoria privata limitabat. Inde oratorium tale Patri Nicolao in futurum assignandum erat. Ex optimis relationibus Metropolitanam et Carmelitanos Romanos inter, non est mirum, si P. Nicolaus directus fuit ad dictos Patres, ad aliquem Pa-

tantummodo anno 1628 Romam venisse processus beatificationis Josaphat Polocensis causa, ut scribit A. GUÉPIN in suo opere « *Un Apôtre de l'Union des Églises au XVII^e siècle* », vol. II, 160: « Un basilien, le P. Nicolas Nowicki, fut chargé de porter à Rome les pièces du procès dressé par le juges apostoliques... Le P. Nowicki parvint à Rome au commencement de l'automne de 1628, et remit les pièces du procès au Cardinal Bandini, préfet de la Propagande » (II. 160).

²³ Ex. gr. anno 1630, vol. 390, f. 461; 1631, v. 391, f. 422; 1632, v. 392, f. 255; etc.

²⁴ APF, *Acta*, vol. 4, fol. 100, n. 22.

²⁵ APF, *Polonia, Russia*, vol. 337, fol. 384-386.

²⁶ APF, *Polonia, Russia*, vol. 337, fol. 384v.

irem Angelum, qui ante eius adventum in Urbem mortuus est. (cfr. *A. P. F. Lett. ant.*, vol. 56, fol. 70v; Ep. R. Korsak). Et inde, ut videtur, causa residentiae Romanae Ruthenis concedendae suum initium sumere debuit.

*

Cum Metropolita die 10. decembris anni 1625 missionem P. Nicolai Secretario Propagandae, Francisco Ingoli, annuntiaret, hunc eius patrocinio quoad omnia commendabat: «dignetur eum Rev.ma Dominatio Vestra consilio suo iuvare, cum in omnibus rebus, tum quod ad locum et modum mansionis eius pertinebit».²⁷ Idem iisdem fere verbis R. Korsak, tunc tempotis iam Archimandrita Vilmensis, scribit in hoc negotio e Varsavia, de data 10.II.1626: «Magis nos nostraque turbavit unus ex nobis Romam mittendus. Deperderemus animum, Rev.me Domine, expensas et personas trutinantes, nisi nos Dei Op. Max. et D. V. Rev.mae subsidium solaretur. Itaque vel cum summo dispendio mittimus unum ex nobis, Patrem Nicolaum Novaccium, Ordinis S. Basilii, quem commendare non possum; scio illum a principio tantum (et qui) dem practicum futurum, sicut nos alii fuimus. Sed accedente illo, quod D. V. Rev.ma dixerat, si loqui nesciverit, nos docelimus, hoc inquam (accedente) omnia poterit in eo qui omnes confortat. Tu ergo, Rev.me Domine, Pater illi, tu Magister, tua Domus illius Refugium, tui Domestici etiam illi Fratres: in summa in spem contra spem discenderet nisi ad D. V. Rev.mam mitteretur. Scio quae mihi dicta sunt a D. V. Rev.ma de provisione pro illo, et non sine lachrymis sepius curam nostri tuam publico et pro modulo depredico; ut proinde tanto confidentius eum mittendum institerim, quanto uberiora misso patrocinia pollicitus sum».²⁸

Sub hoc alto et favorabili patrocinio evenit, ut iam die 25.IX.1626 Ruthenis Ecclesiola S. Laurentii in Fonte concederetur. In congregatione generali huius diei «agens Congregationis retulit Sanctissimum concessisse Ecclesiam S. Laurentii in Fonte positam in Urbe in via suburrae intra sua notissima latera Monachis Ruthenis S. Basilii unitis, et quia Ecclesia praefata pertinet ad Canonicos Regulares Monasterii S. Petri in Vinculis, S. C. dixit convenire, ut agatur cum Procuratore generali Religionis praefatae, et cum superiore dicti Monasterii pro habenda ab eis praedictae Ecclesiae cessione».²⁹ Cessio huius Ecclesiae erat pro Ecclesia Ruthena verum beneficium. Non est mirum Metropolitam Rutzkyj gratitudinis plenum, nuntio huius concessionis ex litteris P. Nicolai de data 10.X.1626 accepto, ad Ingolum e Dubno scripsisse: «Magnum beneficium a Sua Sanctitate Domino Nostro collatum est in nos dum talis Ecclesia in tali situ collata est nobis, quod inprimis Suae Sanctitati... postea

²⁷ APF, *Lettere antiche*, an. 1626, vol. 56, fol. 91.

²⁸ APF, *Lettere antiche*, vol. 56, fol. 62.

²⁹ APF, *Acta*, vol. 4, fol. 123, n. 1.

Rev.mae D. V. cuius indefessum in promovenda Sancta Unione apud Ruthenos studium optime nobis perspectum est, tribuimus ».³⁰

•

Ecclesia benigne concessa, necessarium erat de aliqua stabili habitatione penes hanc Ecclesiam providere, nec non de modo sustentationis Procuratoris. Raphael Korsak ad Fr. Ingoli scribens, die 10.II.1626, suggerit: « manebit interim apud PP. Carmelitas, quandiu Domino in monte videatur et pauper..... D. V. R. provideat », ³¹ et in ceterum: « Tua domus (Fr. Ingoli) illius Refugium » (ib.). Ecclesia ergo benigne concessa, movente Ingolo, quaestio movetur de monasteriolo aliquo Romae fundando. Quarum quaestionum prima solutio a Metropolita Rutskyj suggeritur. In epistola supra citata ad Secretarium Ingoli scribit: « interim ad fundationem Monasterii nostri a Sua Sanctitate designati non erimus sufficientes; inibo tamen unionem cum P. Raphaele Korsak Coadiutore meo, qui post proximum hoc Pascha erit apud me,... sed Episopis nostris ne proponere nunc audeo ne tardiores ad contribuendum pro Seminario evadant. Interim scribo ad Patrem Nicolaum ut architectos et peritos consulat tam de fabrica quam de religioso victu pro aliquot Fratrum, et me certiore faciat; et licet dictum Seminarium retardabit hoc opus, suggeret tamen benignissimus Deus rationes promovendi illud, quae nunc non venient in mentem,... Ad novum illud opus inchoandum et perficiendum malleumus emere domum vicinam, de qua scribit Rev.ma D. V. quam conducere, modo nobis constet de pretio; si autem penes Ecclesiam est sufficiens area per fabricam, haec procuranda est et non emptio domus, quae postea construi posset, quando plura poterimus... ».³² Ita Rutskyj de negotio residentiae Romanae. Intendebatur « residentia-monasterium » sensu proprio. Sed tempora Ecclesiae Ruthenae vere difficillima hoc opus retardarunt. Etiam in quaestione sustentationis Procuratoris in Urbe prima solutio huius quaestionis commemoratur a R. Korsak: « Scio quae mihi dicta sunt a D. V. Rev.ma de provisione pro illo, et non sine lachrymis saepius curam nostri tuam publico et pro modulo depredico » (A. P. F. Let. ant., vol. 56, fol. 62). Circumstantiae eadem Ecclesiae Ruthenae difficillimae solutionem valde insufficientem et « ad interim » etiam Metropolitanae suggerebant, quam Secretario Ingoli in eadem epistola proposuit. « Patrem autem Nicolaum supradictum cui alteri commendem nisi iuxta Deum Rev.mae D. V.? Scio quod multi Religiosi habuerint, forte et nunc habent, ex liberalitate Suae Sanctitatis partem in pane et vino; si possibile est citra molestiam eorum, ad quos hoc pertinet, ut habeat et ipse Pater antequam resumamus vires... »

³⁰ APF, *Lettere antiche*, an. 1627, vol. 67, fol. 341.

³¹ APF, *Lettere antiche*, vol. 56, fol. 62.

³² APF, *Lettere antiche*, an. 1627, vol. 67, fol. 341.

(ib.). Certe in talibus conditionibus positio Patris Nicolai in Urbe erat valde difficilis, non obstante cura et bona voluntate Metropolitanae eiusque Coadiutoris. Ita die 16.III.1626 scribebat ex. gr.: « Pecuniam 200 Floren. misi D. V. R.mae, quae debet reddi P. Nicolao Novak ordinis nostri, Qui Romam veniet » (A. P. F., Lett. ant. vol. 56, fol. 65).

Ex consultatione supra memorata Metropolitanae cum Korsak, post Pascha 1627,³³ Korsak, recentissime nominatus Episcopus Haliciensis et paulo antea Alumnus Collegii Graeci (an. 1624 discessit Roma), postulavit « a Sanctissimo Domino Nostro aliquod subsidium, ut possit prope Ecclesiam S. Laurentii in Fonte Ruthenis unitis concessam, exedificari domuncula pro habitatione Fratris Nicolai Novatii Ruthenorum Unitorum Agentis, et pro aliis duobus aut tribus sociis, Monachis S. Basilii ad Urbem mittendis ».³⁴ Ad hanc petitionem « Sanctissimus iussit agi cum Dominis visitatoribus Urbis » (ib.). Nescimus quid responderent « visitatores Urbis », sed ex parte Ecclesiae Ruthenae negotium hoc non fuit datum oblivioni. Accepta fortasse responsione ad petitionem Korsak Metropolita negotium hoc S. C. de Prop. Fide explicite commendat, laudando Cardinalium favorem Ecclesiae Ruthenae manifestatum in collatione ecclesiae S. Laurentii. « Ceterum his gratiis pro posse nostro relatis S. D. N. et D. V. Ill.mis, scribo Patri Nicolao Agenti nostro, ut ad dictam Ecclesiam iiciat fundamenta mansionis filiorum S. R. E. in Ritu Graeco Catholico. Non dubitamus enim quin quod auctoribus D. V. Ill.mis incipet id iisdem promotoribus assequatur... ». Haec Rutskyj e Chelma die 20. Iulii 1627.³⁵ Sed difficultates erant majores, quam quae praevideri possent. Ideo Metropolita Rutskyj in sua epistola gratias agens Urbano VIII, anno insequente die 30. Januarii, hanc causam denuo movet. Gratias agendo pro Ecclesia concessa meminit etiam, quod illa « nobis concessa liberaliter fuit, ut penes illam perpetuo nostratum sit mansio, quae Unionem Sanctam animis Ruthenorum Dei gratia et Summorum Pontificum cura inserat, conservet, augeat, et perennet; medium sancto huic fini accomodatissimum; Perpetuos ibi fidelitatis et perseverantiae nostrae S. R. E. et Praesidentes in Ea habebunt obsides; gluten hoc erit perfectissimum, quod Ecclesiam Ruthenam Cathedrae Petri agglutinatam tenacissime tenebit, ut non separetur ab ea in aeternum. Quod totum providentiae pastoralis et benignitati in nos paternae Beatitudinis Vestrae acceptum referimus Rutheni nunc viventes, referrent et post nos victuri ad consummationem saeculi ». Ita Rutskyj e Dubno in sua « visitatione per Voliniam ». Sed etiam hac vice obsecrationes Metropolitanae erant nequicquam, et ita magnus ille Metropolita, « Athanasius Russiae », privatus fuit solatione, ut Eccle-

³³ IBID.

³⁴ APF, *Acta*, vol. 4, fol. 217, n. 5.

³⁵ APF, *Lettere antiche*, an. 1630, vol. 132, fol. 320.

siam suam per medium residentiae Romanae « Cathedrae Petri agglutinatam tenacissime » videret.

De facto P. Nicolaus Novacius « fundamenta mansionis perpetuae filiorum S. R. E. in Ritu Graeco Catholico ad dictam Ecclesiam S. Laurentii iicere » non potuit. Nescimus praecise tempus « mansionis » Novacii apud dictam Ecclesiam. Sed iam anno 1630 quaestio Ecclesiae et residentiae iterum movetur in forma « instantiae Metropolitae Russiae, ut Ruthenis Unitis aliqua in Urbe ecclesia concederetur loco illius S. Laurentii alias illis concessae, quae ab aliis fuit occupata ».³⁶ Nescimus quisnam fuerit, qui illam occupavit; fortasse Canonici Regulares S. Petri in Vinculis, quorum erat proprietas. Ad instantiam tamen Metropolitae S. Congregatio respondit mandato, ut « agatur cum Emmo Ginetto, ut si fieri poterit, Oratoris desiderio satisfiat » (ib.).

*

Sed non solum quaestio residentiae nullum habuit effectum, sed etiam problema sustentationis procuratoris in Urbe valde difficile evasit. Nescimus quibus sumptibus sustineretur Procurator Ecclesiae Ruthenae anno 1626-1630; fortasse « ex liberalitate Suae Sanctitatis habuit partes in pane et vino »³⁷ Sanctae Sedis, adiutus subsidiis e Russia non periodicis. Ita ex. gr. scribendo anno 1630 (5.III) ad Barberinum Metropolita confitetur: « Huic Agenti provisionem congruam nondum procuravimus, impediti multis aliis Ecclesiae nostrae difficultatibus, inter alias non minori: fundatione Seminarii, quae antequam debite ad effectum deveniat, non possumus alia cogitare nedum praestare ».³⁸ Consequenter devenit Rutskyj etiam tunc ad solutionem anni 1627, commendando notam iam solutionem « ad interim ». « Unum nobis occurrit, ut Sua Sanctitas D. N. Clementissimus id, quod liberaliter concedit plurimis aliis, concedere dignetur huic pauperi Patri. Magnam ipsi praestabit eleemosynam, nobis autem et Ecclesiae nostrae beneficium, pro quo Suae Sanctitati eo magis obligati erimus, quo plures tituli harum obligationum multiplicantur in nobis » (ib.). Certum tamen manet: Metropolitam modos digne hanc residentiam manutenendi quaesiisse. Ita die 22.XI.1630 apud S. C. de Propaganda Fide instat, « ut pro manutenendis residentiis suorum Agentium in Urbe et in Varsavia, illi concederentur Annatae super episcopatibus et Abbatiis Ruthenorum Unitorum ».³⁹ Etsi concessio haec statim data non fuit, tamen S. C. « mandavit agi cum Emmo Card. Sancta Crucio pro habenda eius sententia » (ib.). Ad aliam vero instantiam de data 25.II.1631, « S. C. mandavit scribi Nuntio Poloniae, ut agat cum

³⁶ APF, *Acta*, vol. 7, fol. 168v, n. 20.

³⁷ APF, *Lettere antiche*, an. 1627, vol. 67, fol. 341; (die 30.I.1627).

³⁸ *Barb. latin.*, 6648, fol. 131.

³⁹ APF, *Acta*, vol. 7, fol. 169, n. 22.

Magno Cancellario, ne Rex dissentiat aut se opponat, si Metropolita aliquam contributionem super episcopatibus imponere voluerit ad effectum de quo supra ».⁴⁰ Revera in sua epistola de data 26.VIII.1631 et 12.XII.1631, Nuntius dedit responsionem in causa Annatarum pro manutentione Agentis Rutheni in Curia Romana. « Parlai hieri a S. Maestà perche volesse contentarsi, che si potesse applicare un'annata delli Vescovi di Greci uniti che vacheranno per sostentar un Agente in Roma, ovvero investirsi da Vescovi qualche portione per istesso effetto; mi rispose S. M., che gia gliene havevo parlato un'altra volta, e ch'essendo cosa nuova doveva ben considerarla; e repplicandole io piu ragioni vive, che corboravano la mia istanza mi soggiunse: daro resolutione a V. S. un'altra volta. Io non so il fondamento di questa renitenza di S. M. etc... ».⁴¹ Ex ultima responsione Nuntii apparet, causam, quare residentia Romana his annis non haberet successum, fuisse non solum difficultatem pecuniariam Ecclesiae Ruthenae, sed etiam « politicam » Regni Poloniae.

Etsi instantiae duorum annorum successum non habuerunt, et Procurator Ecclesiae Ruthenae eleemosyna Sanctae Sedis sustentebatur, causa haec non fuit derelicta. Ita iam, derelicta propositione annatarum, sub finem anni 1631 Coadiutor Metropolitae Raphael novum modum invenit novamque instantiam S. C. praesentavit, quae in congregatione generali, die 5.XII.1631 habita, considerata fuit. Korsak a S. Congregatione petii, « ut administratio Ecclesiae Vlodimiriensis, quam obtinuit Metropolita Russiae a Rege illi per aliquot annos confirmaretur, quia cum redditibus illius perficiet duo Monasteria Monachorum, item eriget Seminarium Ruthenorum, et hospitium Romae fundabit ».⁴² Etiam in hoc negotio « inclinabat Sanctissimus ad gratiam... si nullam fieri a Rege oppositionem... » (ib.). Facta denum nova congregatione particulari super negotiis Ruthenorum et instantia Korsak de novo considerata, S. Congregatio « censuit, si Sanctissimo placuerit, administrationem petitam praefato Metropolitae ad quinquennium concedi posse, primo: ob tres supra recensitas rationes, videlicet erectionis Seminarii, constructionis hospitii in Urbe, et perfectionis inchoatorum Monasteriorum... ».⁴³ Tamen causa hoc modo decisa suum plenum effectum non habuit, etiamsi administratio desiderata Metropolitae a Rege revera agnita fuit. Praeter aliam mentionem de hoc negotio in litteris Nuntii de data 7.VI.1632 non habentur alia documenta ante annum 1633, quae de hoc negotio ulterius tractarent ita, ut primus Procurator Ecclesiae Ruthenae in Urbe stabilis extra septa propriae residentiae mori debebat (1632-1633).

⁴⁰ APF, *Acta*, vol. 8, fol. 28v-29, n. 24.

⁴¹ APF, *Lettere antiche*, vol. 58, fol. 3-4.

⁴² APF, *Acta*, vol. 8, fol. 155, n. 19.

⁴³ APF, *Acta*, vol. 8, fol. 19, n. 3.

Simul cum tractationibus de residentiae Romanae exstrukione et procuratoris in Urbe manutentione, instantiae pro nova Ecclesia in Urbe obtinenda progrediebantur. Causa haec die 22.XI.1630 fuit commissa Emmo Cardinali Ginetto, Sacra Congregatione inclinante, « ut si fieri poterit, Oratoris (= Metrop. Russiae) desiderio satisfiet ». ⁴⁴ Tempore unius mensis elapso, causa haec ecclesiae Ruthenis concedendae denuo tractatur in Congr. generali, die 23.XII.1630 habita, in qua « Sacra Congregatio volens providere Ruthenos Unitos de aliqua ecclesia in Urbe, mandavit capi informationem de illa, quam prope ecclesiam Sanctorum 40. habebant Augustiniani, et si ea visa fuerit pro praefatis Ruthenis opportuna, nomine S. C. memoriale exhibeatur Archiconfraternitati Gonfalonis, quia Eminentissimus D. Cardinalis Barberinus illius Protector negotium iuvabit ». ⁴⁵ Informatio videtur fuisse capta, quia anno insequente die 7.V.1631 in sua congregatione generali S. C. — referente Card. Capponio « stetit in decretis, ut Ruthenis detur Ecclesia in Urbe ». ⁴⁶ Practice tamen obtentum fuit, ut Cardinalis Ginettus, cui haec causa anno praecedente commissa fuit pro executione (22. XI.), nunc « Secretarium monuit, ut Agentem Metropolitae Russiae ad Eminentiam Suam mittat, quia decretum S. C. exequitur ». ⁴⁷

Nescimus, quid P. Nicolaus apud Cardinalem Ginettum personaliter obtineret; fortasse aliquam solutionem « ad interim », nam post eius in Urbe mortem, in fine anni 1632 vel initio anni 1633, et postquam Coadiutor Metropolitae Romam venit (aprilis-majus 1633), causa haec denuo movetur, tamen sine aliquo concreto successu usque ad annum 1639 et donationem Barberini, qui jam anno 1630 « negotium hoc iuvare » promptus erat. ⁴⁸

Ultimum fortasse solatium, quod P. Nicolao in sua difficili situatione Romana contigit, ei ex parte Secretarii Ingoli venit. Nobis notum non est in quonam illa « provisio », de qua Metropolita Ingolo « infinitas gratias agit » consisteret. In « post scripto » epistolae Korsak, inscriptae e Varsavia in Comitibus Electionis die 5.VII.1632 Metropolita hoc modo loquitur: « Certus sum quod provisio facta Patri Nicolao Agenti meo procurata sit a Rev.ma D. V.; quocirca infinitas eidem ago gratias. Deus Optimus Maximus retribuat! Ego certe nihil invenio pro tot gratiis Perillustris ac Rev.mae D. V. ut aequivalenter rependam ». ⁴⁹

⁴⁴ APF, *Acta*, vol. 7, fol. 168v, n. 20.

⁴⁵ APF, *Acta*, vol. 7, fol. 188, n. 3.

⁴⁶ APF, *Acta*, vol. 8, fol. 57v-58, n. 1.

⁴⁷ *IBID.*

⁴⁸ APF, *Acta*, vol. 7, fol. 188, n. 3.

⁴⁹ APF, *Lettere antiche*, vol. 75, fol. 373v.

In his et similibus circumstantiis incertitudinis et miseriae pecuniariae activitas P. Nicolai nostram admirationem promeretur, quae activitas in ordinariam et extraordinariam dividi potest. Ne tamen inquisitio nostra limites suos transgrediatur, activitatem ordinariam, etsi valde conspicuam, non considerabimus. Ex activitate P. Nicolai autem extraordinaria eius solummodo in beatificatione Servi Dei Josaphat partes videbimus, quae in suo genere in tota historia Procuraturae Romanae unica permanserunt.

Anno 1628, mense martio processus Polocensis in causa Martyrii Josaphat Kuncewycz perfectus, et die 10 junii, eiusdem anni, Romam missus fuit.⁵⁰ Transmisso processu Romam, qui ceterum non secundum omnes praescriptiones factus fuit et ideo rescindibilis, totum negotii huius pondus transponebatur. Necesse erat Romae aliquam personam in praxi Curiae Romanae versatam hanc causam usque ad finem eiusdem causae optatum promoveri. Est omnino naturale, si ad hanc causam in Curia Romana et penes S. C. Rituum promovendam Procurator Ecclesiae Ruthenae in Urbe, P. Nicolaus Novacius, electus fuit. Ipse Metropolita per litteras patentes, e Vilna e suo palatio Metropolitano datas, die 15. Aprilis anni 1628, Novacium « in procuratorem, actorem, factorem et huiusmodi causae gestorem constituit », eique plenam procurae potestatem cum jure subdelegationis concessit, et ei « in hac causa auctoritatem (nostram) ad omnia quae erunt pro Beatificatione et Canonisatione procuranda communicavit ».⁵¹

Primum vestigium activitatis procuratoriae P. Nicolai in causa Beatificationis Servi Dei Josaphat habetur ex anno 1629, quo anno, die vero 6 novembris, P. Novacius processum Romanum primum in causa Servi Dei Josaphat confecit, testimonia P. Nicolai Lancicii (Societ. Jesu) et PP. Basilianorum Philonis Tischevicz et Nicolai Losovschi colligendo.⁵² Interrogationes ad processum promovendum aptas ipse Novacius concinnavit. Sed processus hic Romanus non iam multum Processum Polocensem adjuvare potuit, cuius forma a S. C. Rituum in dubium vocata fuit. Immo ipse Processus Romanus ex anno 1629 in dubium vocatus fuit ex capite imperfectionis potestatis protonotarii Laurentii Coursii,⁵³ quod pro Patre Nicolao causa non modici doloris fuit; immo, ut videtur, in hac connexionem tota eius positio Procuratoris Ecclesiae Ruthenae labefactata fuit. Vivente adhuc P. Nicolao etiam secundus Processus Romanus anni 1632 exaratus fuit, cum maiore cura et ad res formales attentione.⁵⁴ Sententia trium auditorum Romanae Rotae favorabilis erat, sed S. C. Rituum ad processus reiectionem inclinabat, non obstante labore, sacrificiis et instantiis P. Nicolai et ab an-

⁵⁰ APF, *Lettere antiche*, vol. 69, fol. 316r, 317r.

⁵¹ *Proces. Rituum*, Nr. 2289, fol. 1v-2.

⁵² *Proces. Rituum*, Nr. 2288, vol. 2289.

⁵³ APF, *Acta*, 1630, fol. 169v; 1631, 92r.

⁵⁴ *Proces. Rituum*, Nr. 2290.

no 1633 ipsius Korsak. Anno 1632, die 16. novembris habemus novam instantiam « agentis Metropolitae Russiae, ut promoveatur causa beatificationis Servi Dei Josaphat », ⁵⁵ quae mihi ultima a P. Nicolao praesentata videtur. Nam instantia praesentatur adhuc per « agentem metropolitae », sed scripta fuit iam alia manu.

Post diem 16. novembris 1632 vestigia activitatis P. Nicolai extraordinariae, sed etiam ordinariae non amplius inveniri possunt. Die vero 1. martij 1633 Metropolita Rutskyj Cracoviae in Comitibus Coronationis Vladislai IV nuntium accepit, eius procuratorem apud Sanctam Sedem ad vitam meliorem migrasse. Fuit mors « inopinata », si aetas et vires P. Nicolai considerantur, sed fuit etiam inopinata pro negotiis Ecclesiae Ruthenae, quae negotia mors illa « inter spem et metum haerere fecit ». ⁵⁶

★

Sed antequam nostram inquisitionem morte primi Ecclesiae Ruthenae Procuratoris in Urbe concludimus, consideranda est etiam prima primi huius Procuratoris periculosa crisis, quae anno 1630 locum habuit.

Documenta hanc crisim illustrantia paucissima sunt. Imprimis debemus hic mentionem facere dubij illius de legitimitate Processus Romani ex anno 1629. Anno 1630 de hoc sane processu tractabatur. Et nunc videmus in extenso documentum summi valoris, quia manu propria Metropolitae Rutskyj subscriptum, qui certe documentum tale sine causis gravissimis subscribere non potuit. Agitur de epistola Metropolitae ad Franciscum Ingoli, cuius textus de verbo ad verbum sonat: « Cum in omnibus plane gravissimis Ecclesiae meae negotiis cum scitu D. V. Rev.mae, quantum quidem memini, me procesisse sciam, tum hoc quoque pro mea cum D. V. Rev.ma confidentia silentio praetreundum nequaquam putavi. Multi hic Patrem Nicolaum Novacium incusant, quod sibi commissis non seriam navet operam. Ego quoque experientia didici, quod literae sive a nobis Romam, sive Roma ad nos scriptae depercant, plures expeditiones percant, nonnullae implexis ambagibus haereant, pleraequae in manus schismaticorum abeant; quod sane evidens culpa illius documentum. Quocirca supplico D. V. Rev.mam, ut nos candide pro more suo et solito in nos candore admonere dignetur, utrum illum expediat diutius inibi manere, an alius forte in locum eius submitendus. Cum enim haec agentis missio proprio motu suasque D. V. Rev.mae Romae sit instituta, eadem quoque dirigente et ordinante, in futura suum sumere progressum debet tempora; a cuius mente ne ad latum quidem, ut aiunt, ungitem discedere vellem ». ⁵⁷

Si quis characterem Metropolitae Rutskyj ex eius scripturis vel

⁵⁵ APF, *Memoriali* 1632, vol. 392, f. 255.

⁵⁶ APF, *Lettere antiche*, an. 1633, vol. 75, fol. 356.

⁵⁷ APF, *Lettere antiche*, an. 1631, vol. 73, fol. 59.

minime cognoscit, is, supracitata epistola perlecta, in tentationem inclinatur, authenticitatem huius epistolae non agnoscere. Sed, pro dolor, etsi ab ipso Metropolita manu propria non fuit scripta (ut maxima pars eius epistolarum huius temporis), tamen eius manu propria et eius propria scriptura subscripta fuit. Ex hac parte, ex eius stilo vere spendido, ex illa intima relatione cum Francisco Ingoli, huius epistolae authenticitas in dubium vocari non potest. De facto dicendum est, Metropolitam Rutskyj accusationes has gravissimas contra suum agentem in Urbe movisse. Sed spectentur accusationes ipsae, prout sonant.

Formaliter datur duplex fons accusationum Patris Nicolai: 1. « multi hic », et 2. « ego quoque experientia didici... ». Si nunc spectatur qualitas accusationum, fontes inter se maxime differunt; « multi » accusant « quod sibi commissis non seriam navet operam »; ergo accusatio vere gravis, quae personam agentis immediale respicit. Sed nunc ipse Rutskyj non subscribitur hisce accusationibus, sed adducit proprias, quae omnes ad unam reduci possunt, nempe: commercium epistolare inter Romam et Russiam difficultatibus laborat. En ista « accusatio », quae P. Nicolaum nullomodo personaliter respicit. Immo est potius accusatio « postae » huius temporis. Inde conclusio Rutskyj: « quod sane evidens culpa illius documentum ». Mihi videtur, ponendo has accusationes Metropolitam non fuisse convictum de culpa sui agentis, sed cessisse « multis, qui hic incusant... »; quisnam fuerint hi « multi » nobis Metropolitae circumspectio et prudentia, immo potius eius caritas fraterna scire non permisit. Mihi videtur tota haec causa evenisse hoc modo: audiendo saepe incriminationes sui Agentis Metropolita putavit esse necessarium consilium hac in re a suo amico Ingolo petere, qui huius procuraturae in Urbe promotor fuit; ne tamen accusationes solummodo « multorum » referret, a parte sua adducit omnes imperfectiones commercii epistolaris cum Roma et omnes hae imperfectiones sine ulla interna connexionione et consequentia coniungit vere accidentaliter cum Patre Nicolao, quasi argumenta concreta, quod P. Nicolaus « sibi commissis non seriam navet operam » (ib.). Totum hoc negotium Metropolita submittit iudicio Secretarii Propagandae, Francisco Ingoli, cuius « proprio motu suasque haec agentis missio Romae sit instituta » (ib.). Certe tali modo non loqueretur homo persuasus de culpa alterius, conscius suae responsabilitatis, si haec culpa continuaretur. Qualis autem vir et metropolita fuerit Iosephus Velamin Rutskyj dicere necesse non est. Erat homo, qui in sua vita laboriosa et sacrificii plena alium titulum in ore contemporaneorum non habuit, nisi « vir sanctus ». Ideo transeat haec obscura pagina in historia primi Procuratoris Negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe! Erat fortasse tentamen alicuius « invidiae clericalis », quae in servitium suum destructivum etiam

“ APF, *Lettere antiche*, an. 1633, vol. 75, fol. 356.

clementiam et simplicitatem magni Metropolitanae Rutskyj trahere tentabat; sed nequicquam. Nam Romae erant viri, qui laborem Patris Nicolai in circumstantiis difficillimis praestatum vere et iuste aestimabant. Primus Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae apud Sanctam Sedem permansit in suo officio, usquedum revocatus fuit a Iudice et Remuneratore supremo, qui iudicat secundum veritatem et remunerat secundum suam bonitatem.

*

« Mors Patris Nicolai Agentis mei Rutheni inopinata, multis de causis Ruthenae res Ecclesiasticae inter spem et metum haerere fecit ».⁵⁸ Ita Rutskyj e Cracavia die 1. martii 1633 ad Cardinales S. C. de Propaganda Fide. « Hinc etiam Emmis et Rev.mis D. V. in multis forsitan deesse cogar aliquo intervallo, neque frequentem, neque sufficientem muneris mei reddens rationem » (ib)..

His verbis Metropolita Russiae, nuntio de morte sui in Urbe agentis allato, ad S. C. de Propaganda Fide scribebat. Revera, hi-sc in circumstantiis, Metropolita — qui tunc temporis una cum aliis Episcopis Cracoviae commorabatur in Comitibus Coronationis Regis Vladislai IV — dicere potuit, hanc mortem esse vere inopinatam, et immaturam, et pro Ecclesia Ruthena afflicta verum infortunium. Nam post Comita Electionis et Coronationis, ubi sub pressione Regis Vladislai IV multa, Unitis iniuriosa, in favorem Schismaticorum concessa fuerunt, res tota iudicio Romani Pontificis proposita fuit, appellantis Episcopis Ruthenis. Romae proinde erat necessarius vir prudens, cum personalibus relationibus ad Curiam et cum bona praxi curiali in favorem Ecclesiae Ruthenae agens, qui negotium hoc in favorem Unitorum saltem Romae convertere posset. Et in hoc praecise momento venit Cracoviam nuntius a Francisco Ingoli, Secretario S. C. de Propaganda Fide, et rettulit de morte Procuratoris Ecclesiae Ruthenae in Urbe; et tamen P. Nicolaus Novak iam aliquam praxim curialem sibi inde ab anno 1626 comparavit.⁵⁹ Alium Procuratorem in eius locum mittere pro tunc erat Metropolitanae res impossibilis, et non multum iuvare potuit, quia talis novus Procurator semper hoc difficili tempore Romae homo novus fuisset. In epistola supra iam citata scribit Metropolita: « alium in locum boni Patris subrogare tam cito nullo modo possemus, distantes a nostris locis 100 et ultra leucis ».⁶⁰ Inde etiamsi Alumni duo, et quidem iam sacerdotes ad Collegium Graecorum mittuntur, illis tamen nullum procurae mandatum datur, sed solummodo facultas de rebus Ecclesiae Ruthenae tunc

⁵⁸ Videtur, quod epistola Fr. Ingoli erat characteris privati, nam nullum eius vestigium datur in epistolis S. C. de Prop. Fide; inde neque de tempore, loco, et circumstantiis mortis aliquid scimus; investigavi varia Archiva Romana et nihil inveni; sed spes vestigium aliquod inveniendi semper manet.

⁵⁹ APF, *Lettere antiche*, vol. 75, fol. 357.

temporis apud S. C. de Propaganda Fide referre.⁶¹ Inde in historia Procuraturae Romanae stabilis prima interruptio evenire debuit; etsi de facto in persona Raphaelis Korsak, Coadiutoris Metropolitanae Kioviensis, res Ecclesiae Ruthenae feliciter tractabantur, tamen activitas Korsak carebat qualitate Procuraturae Romanae essentiali, eius nempe stabilitate.⁶²

Etiamsi mors P. Nicolai Novak, Procuratoris, pro Ecclesia Ruthena eventus extraordinarius fuit, et Roma et Romam epistolae hac de re scriptae fuerunt, tamen hodie nescimus quando praecise (1632-1633?), ubi et quibus in circumstantiis mortuus sit primus ille Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe stabilis. Desunt etiam hodie vestigia eius in Urbe sepulchri. Tamen, considerantes eius activitatem procuratoriam in Urbe in circumstantiis difficillimis, possumus ut epitaphium huic viro, ceterum ignoto, cuius ossa in sacra terra Romana requiescant, illa Metropolitanae Velamin Rutskyj verba ponere, quae ipse — accepto nuntio de morte P. Nicolai — protulit:

« Multum saluti vixit, qui et sibi et aliis bene vixit.
Memoria itaque illius sit in benedictione ».⁶³

⁶¹ APF, *Lettere antiche*, vol. 75, fol. 456, 457; Fuerunt PP. Philippus BOROVYK et P. Josaphat ISAKOVICZ, admissi in Coll. Graecorum iam die 2.V.1633; P. Philippus fuit postea (1639) Procurator Gen. in Urbe; successor Novak.

⁶² Raphael KORSAK profectus est Romam anno 1633, mense martio-aprili ut negotia Ecclesiae Ruthenae tractaret, et concessionem a Rege Vladislao IV factam impediret. Romae commorabatur usque ad annum 1635; etiam negotium Beatificationis Josaphat promovebat.

⁶³ APF, *Lettere antiche*, vol. 75, fol. 357; Epist. J. Rutskyj ad Fr. Ingoli, Secret. S. C. de Propaganda Fide.

II. DOCUMENTA COLLECTANEA

PRIMA "BASILICA MINOR" IN O. S. B. M.

Cum omnia fere ad ima in destructionis processu bellico descenderunt, novus incipit ascensus ad summa. Ecce occasione jubilaei 250 annorum apparitionis imaginis B. V. Mariae in ecclesia Máriapócsensi miraculose lacrimantis, ecclesia monasterii « honoribus ac privilegiis Basilicae Minoris » decoratur. Non est necessarium, brevem historiam ecclesiae, imaginis miraculosae et monasterii dare, nam documento ipso, quod infra publici juris fit, id verbis brevibus sed claris optime praestatur. Verbum solummodo faciemus de ipso honorifico privilegio « Basilicae Minoris ».

Nomen hoc sumitur in re praesenti in sensu liturgico et non stylistico. Quo in sensu dantur quattuor « basilicae majores » Romae, et novem



« basilicae minores » in hac eadem Urbe, quarum unaquaeque suis privilegiis et honoribus gaudet. A saec. xix etiam ecclesiae insigniores extra Urbem existentes hoc nomine honorifico « basilicae minoris » donabantur, propter harum ecclesiarum significationem, ut eccl. cathedrales, antiquorum monasteriorum, et ecclesiae penes quas sanctuaria valde frequentata inveniebantur. Ex ultimo hoc capite etiam ecclesia Máriapócsensis privilegio hoc donata est.

In quonam privilegium hoc consistat, diu disputabatur. Hodie ex decisione S. Congreg. Rituum communiter admittitur: « nomine privilegiorum, gratiarum, praeeminentiarum, exemptionum, indulgentiarum ceterorumque similium, quae continentur in Litteris Apostolicis... expeditis favore alicuius Ecclesiae ad gradum Basilicae minoris elevatae, venire Conopoeum, omni tamen auri et argenti ornatu ab eo excluso, tintinnabulum et usum Cappae magnae » (Responsio data Ecclesiae cathedrali in Lucera die 27 augusti 1836, n. 4781).

Conopoeum = magnum umbraculum, tabernaculum, quod portatur in processionibus et quod antiquitus fortasse protectioni cleri procedentis « basilicae » contra imbres inserviebat.

Tintinnabulum, quod specialiter et artificiose constructum portatur in processionibus, olim vero fini practico inservire videtur.

Cappa magna, uti vestis sollemnis chori, est solummodo in usu in « basilicis minoribus et maioribus » saecularium; ita Romae et alibi.

Certe non in hisce omnibus, quae in ritu graeco nullam habent applicationem, stat gloria « Basilicae minoris » Máriapócsensis, sed in illa sollemni agnitione a Summo Pontifice facta, qua ecclesia dicti monasterii aliis totius mundi ecclesiis insignibus aequiparatur et adnumeratur.

Quoad cetera legatur ipsum Breve Pontificium, in forma sollemni consueta exaratum, quod paucis notis explicatum lectioni praesentium et futurorum memoriae commendatur.

A. W.

PIUS PP. XII. Ad perpetuam rei memoriam. Hungaricae gentis fides quam Stephanus Rex Sanctus¹ primus propagavit singulari munificentia fovit et praeclaris virtutibus illustravit, haereticorum et infidelium conatibus minime obstantibus, plura per saecula mirifice effulsit multaque ac praeclara edidit omni tempore documenta. Inter quae primum locum tenet peculiaris illa devotio erga Sanctissimam Dei Genitricem, quam ipse Stephanus constituit Hungariae Patronam quamque precibus suis omnino adnuentem suisque necessitatibus opportuno tempore subvenientem fideles Hungari experti sunt. Hujusmodi vero Magnae Dominae et Serenissi-

¹ « Stephanus Rex Sanctus » regnavit ann. 997-1038.

mae Reginae, prout ipsi Eam appellare solent, maternae sollicitudinis insigne monumentum habendum est Sanctuarium, in planitie vulgo « Szabolcs » extans, « Máriapócs » nuncupatum et in quo Imago Beatae Mariae Virginis in ligno depicta singulari veneratione coli coepta est anno Domini MDCXCVI, quo, uti fertur, a die IV m. Decembris lacrymas pluries effudisse a multis illuc convenientibus hominibus aetate, conditione, religione diversis visa est.

Nec defuerunt miracula et nonnulli ex infidelitate et haeresi ad catholicam veritatem mirabiliter conversi sunt. Quae omnia ab Episcopali Curia Agriensi,² cujus jurisdictioni tunc Pócs subiectum erat, rite examini proposita, tamquam coelestia prodigia habenda esse declaratum et publicis documentis traditum est. De quibus certior factus, Leopoldus, Austriae Imperator³ et Hungariae Rex, proximo anno, pro sua pietate, voluit ut sacra Imago ab Episcopo Agriensi Georgio Fenessy,⁴ magna pompa et ingenti populi concursu, transferretur Vindobonam; ibique, in Ecclesia Sancto Stephano Protomartyri dicata, publicae venerationi exponeretur. Traditur insuper, Eugenium a Sabaudia,⁵ supremum christiani exercitus ducem, antequam, mense Septembri anno MDCXCVIII, apud locum vulgo « Zenta »,⁶ adversus Turcarum copias, Christianorum copiis multo majores, praelium committeret, oculis conversis ad Vindobonam, ubi tunc fideles enixis precibus auxilium Beatae Virginis implorabant, ab Ipsa pie petiisse ut a Christianorum finibus imminens periculum averteret et victoriam de infensissimo hoste a Deo impetraret. Quod cum feliciter eveniret, percubuit et usque ad hodiernum diem perseverat Vindobonensium erga Beatissimam Virginem a Pócs devotio et publicus cultus. Sed parvus pagus, a quo, ut diximus, prodigiis clarum ligneum simulacrum translatum fuerat, ab Ipsa Deipara electus prae ceteris locis visus est tamquam miraculorum theatrum et divinarum gratiarum fons. Etenim novum simulacrum, exemplari omnino conforme, anno MDCCVII, jussu Stephani Teleseky,⁷ Episcopi Agriensis, in ecclesia memorati pagi « Pócs » denuo collocatum, fertur anno MDCCXV diebus I, II et V Augusti mensis, lacrymas iterum effudisse. Etiam prodigium hoc rite examinatum et adprobatum fuit ab eadem Curia Episcopali Agriensi, quae sacrae Imaginis cultum excitandum et augendum curavit, ita ut, ex illo tempore, fidelium concursus ad memoratum templum in dies frequentior evaserit et in praesenti celeberrimus in Hungaria peregrinationum locus non solum ab Hungarico populo, sed etiam a Slavicis gentibus, Ruthena praesertim

² Curia Episcopalis Agriensis — hodie Eger, fund. saec. x, metrop. ab an. 1804.

³ Leopoldus Imperator Austriae — primus nempe, regnabat 1658-1705.

⁴ Georgius V. Fenessy — ep. ab ann. 12.V.1687-4.III.1699.

⁵ Eugenius a Sabaudia — princeps, dux exercituum Austriae, nat. 1663, mort. 1736.

⁶ Pugna apud « Zentam » fuit die 11 sept. 1697.

⁷ Stephanus IV. Telekesy — ep. ab an. 15.VI.1699-3.III.1715.

et Rumena, habeatur. Qui peregrinorum, natione, fide et ritu diversorum, conventus assiduus concordiam inter eos et christianam charitatem maxime fovit et augere pergit in dies. Magno autem afficimur gaudio cum compertum habeamus « Máriapócsense » Sanctuarium fuisse semper et adhuc esse veluti centrum auspiciatissimae illius unionis quae anno MDCXLVI facta est inter populos orientalis ritus in Hungaria degentes, qui usque ad praesens a Beatissima Dei Genitrice et Virgine Maria, gratiarum omnium apud Deum sequestra, expostulant et obtinent necessitatibus suis auxilium opportunum, doloribus cujusque generis levamen, in sua erga Divi Petri Cathedram fidelitate perseverantiam, in praesentibus gravissimis angustiis spem et fiduciam. Fertur insuper etiam anno MCMV veneratae Imaginis novam lacrymarum effusionem ab Episcopali Curia Munkacsiensi,⁸ ad quam tunc temporis Pócs pertinebat, examinatum et praeternaturalem declaratum rite fuisse. Interea, cum prima sacra aedes, ex ligno tantum exstructa, ad confluentes ex finitimis regionibus peregrinos excipiendos magis in dies impar fieret, an. MDCCXXXI, a Georgio Gennadio Byzantinorum⁹ Episcopo, aedificari coeptum est novum amplum et arte praeclarum templum, quod a successoribus Antistitis, quem diximus, an. MDCCLVI completum et in formam, quae nunc cernitur, redactum est. Hisce vero novissimis annis instauratum et ornatissima nova ara maxima ditatum est. Cum autem an. MCMXLVI, anniversarius CCL primae lacrymationis saepius memoratae sacrae Mariae Imaginis simulque CCC felicitis unionis gentis orientalis ritus Hungariae cum Catholica Ecclesia celebratus sit, dilecti filii Superior Provincialis Ordinis S. Basilii M. Congregationis a S. Josaphat in Hungaria¹⁰ et Rector Ecclesiae « Máriapócs » idemque Moderator continentis monasterii preces, Procuratoris Generalis¹¹ Ordinis S. Basilii M. commendatione suffultas, ad Nos admoverunt ut Ecclesiam ipsam titulo et privilegiis Basilicae Minoris, ad duplicem anniversariam diem digne commemorandam, decorare velimus. Quas preces, etiam votis et gravibus roboratas suffragiis Dilecti Filii Nostri Josephi S. R. E. Presbyteri Cardinalis Mindszenty,¹² Archiepiscopi Strigoniensis¹³ et Principis Primatis Hungariae, nec non Ven. Fratris Nicolai Dudás,¹⁴ Episcopi graeci ritus Hajdudorogen-

⁸ Episc. Munkacsiensis anno 1905 fuit Julius Fircak (1891-1912).

⁹ « Georgio Gennadio Byzantinorum episcopo » — error proveniens e similitudine nominum, debet esse: « Georgio Gennadio Bizanczy, episcopo », fuit ep. ann. 1716-1733.

¹⁰ Protohegumenus fuit R. P. Dudás Bartholomaeus (ab anno 1943.15.II., denuo electus 12.II.1947.

¹¹ R. P. Zajackivskyj Josephus, OSBM, (ab anno 1932).

¹² Mindszenty Josephus Cardinalis ab anno 1946; Archiepiscopus Strigonien. ab anno 1945.

¹³ Strigonia, hodie Esztergom, saec. x, Metropolia.

¹⁴ Dudás Nicolaus M., OSBM, ep. Hajdud. ab an. 1939.

*sis*¹⁵ *benigne excipientes, ut Nostram erga benignissimam Dei Matrem pietatem et magnam fiduciam in praesentibus angustiis testemur, ut tantorum suffragatorum optatis accedamus, audito Ven. Fr. Nostro Eugenio S. R. E. Card. Tisserant,*¹⁶ *Ep. Portuensi et S. Rufinae, S. Congregationis pro Ecclesia Orientali Secr., certa scientia et matura deliberatione Nostris atque Apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam graeci ritus Deo in honorem B. Mariae Virginis Perdolentis, in loco v. « Máriapócs », intra fines Eparchiae Hajdudorogensis in Hungaria honoribus ac privilegiis Basilicae Minoris decoramus atque afficimus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus ac statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces jugiter exstare ac permanere suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite judicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Datum Romae, apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die XXV m. Martii, an. MCMXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.*

*De speciali Sanctissimi mandato
Pro D.no Cardinali a Secretis Status
Dominicus Spada a Brevibus Ap.cis*

(L. S.)

¹⁵ Dioecesis Hajdudorog, suffrag. Strigoniae erecta die 12. junii 1912, pro cathol. rit. graeci.

¹⁶ Tisserant Eugenius Cardinalis ab an. 1936.

A. W.

VITAE BASILIANORUM RECENTIORUM (1939-1944)

Historiographiam hodiernam de paucitate notitiarum biographicarum virorum etiam illustrium saepe conqueri, quis est, qui non iam audivit?

Sed ecce etiam nos, hodierni, vivimus in dimensionibus historicis et hodie nobis immediate nota sunt ex ipsa rerum et personarum intuitionem plura, quae posteris ex temporum perspectiva non ita omnino iam clara et simplicia apparebunt.

De praedecessorum nostrorum incuria saepe conquerendo nos ipsi quod in aliis vituperari non cessamus, facimus.

Vita et inde historia personae physicae brevis est, sed e contra vita et historia personae moralis saepe valde longinqua. Privilegio hoc longaevitatis omnis Ordo monasticus gaudet, etiamsi Ordinis membra physica post breve iam tempus vitam terrenam pro coelesti commutantur. Inde evenit, quod persona moralis in specie in sua vita longaeva saepe obscuritatibus laborat historiographia ostendit.

Ratio obscuritatum specialis sunt defectus in historia singulorum membrorum personae moralis, concrete: Ordinis religiosi. Et ibi praeter varia temporum infortunia partes majores culpaе contemporaneorum debent adscribi.

Ordo Basilianus Basilianis etiam coalescit. Basilianorum vitae est historiae Ordinis Basiliani fons primarius. Ordinis historiographia sine Ordinis biographia rationabiliter existere non potest.

Inde evenit, ut cui de Ordinis historia cura concredita est, illi etiam biographia Ordinis membrorum curae esse debet. Et si quando occasio illa biographiae adest, tunc certe in illo momento, quando cursus vitae uniuscuiusque Ordinis membri absolutus est et Lethe obliviosa transgressa. Ecce momentum opportunum, ut confratris manus attenta et amica vitam cari defuncti oblivioni eriperet et memoriae personae moralis conservaret.

Considerationes hisce similes fuerunt, quae collectionem hanc notitiarum biographicarum nostrorum defunctorum exsurgere fecerunt. Est labor ad fontes historiae Ordinis nostri spectans, unde eius locus in « *Analectis OSBM* ».

In hoc primo volumine « *Analectorum OSBM* » Seriei Secundae notitias fundamentales ad biographiam Basilianorum in ultimo decennio (1939-1949) defunctorum memoriae asservare studebimus.

Sed confiteri debemus, quod propter hodiernas Ordinis Basiliani circumstantias notitiae hae tantummodo valde imperfectae esse possunt. Nihilominus, ne etiam illae notitiae generales temporum decursu in oblivionem venient, eas publici iuris facere non dubitamus. Compleant alii, qui temporibus felicioribus vivebunt, has imperfectas notitias!

Sequimur in hac collectione ordinem systematicum, secundum varios Ordinis status: Sacerdotes-clerici-fratres.

Quia fontes nostri valde defectuosi, abstinemus a iudicio de singularum personarum caractere et activitate. Inde non est mirum, si in paginis sequentibus nomina et numeri absolutum dominium obtinebunt.

His praemissis iam agmen illud numerosum, duce ipso agminis huius Superiore Generali, ante oculos nostros deducere tempus est.

Superior Generalis

Adm. R. P. TKACUK DIONYSIUS DEMETRIUS (1867-1883-1944).

Adm. Rev. P. Dionysius Tkacuk natus est in Knihynyn, prope Stanyslaviv, ex parentibus agricolis, Antonio et Maria Litaniuk, die 9 novembris, anno 1867. Postquam scholas fundamentalem et mediam in Stanyslaviv frequentavit (1874-1883), in novitiatum Basilianorum in Dobromyl ingressus est, anno Reformationis Dobromylensis secundo (17. VII.1883). Vestitus novitius Basilianus sub nomine Dionysii, vota simplicia emisit die 7 januarii 1885, Dobromyli, ubi statim Rhetoricae studuit (1885-86). Deinde anno sequenti Leopoli philosophiae



cursum frequentavit 1886-88, qua absoluta Lavroviam mittitur, ut in schola publica doceret (1888-89), quod magisterium professione votorum solemniter coronavit (8.IX.1889). Deinde Theologiae anno primo in monasterio Krystynopolitano audito, Cracoviae, in Collegio PP. Societatis Jesu, studuit (1890-94). Anno 1892 (14.24.VII) Peremisliae sacerdos ordinatur. Absoluto vero theologiae studio (1.I.1894), philosophiae lector in monasterio Lavrivensi est designatus. Sed eiusdem anni medietate secunda (16.VIII) hegumenus Krystynopolitanus eligitur, annum vitae 27 agens. Huic primo officio hegumenali brevibus temporis intervallis subsecutus est hegumenatus Bucacensis (16.VIII.1896), Lavrivensis (12.IX.1897) et iterum Bucacensis (26.VIII.1898). In monasterii Bucacensis directione permansit usque ad annum 1901, quo anno designatur magister novitatus Dobromylensis. Eius cura novitatus Dobromylensis in monasterium Krechivense transplantatus est (20.VII.1902). Hoc eodem anno 1902 etiam officio Consultoris Provinciae fungi coepit, anno vero 1905 (18.III) cura communitatis monasterii Krechivensis ei concredita fuit. Sed iam post duos annos activitas eius hegumenalis et magisterialis primo suo itinere romano et morbo interrupta fuit (20.VIII.1907-16.XII.1908) ita, ut anno 1908 suo officio magisteriali, anno vero 1909 etiam hegumenali renuntiare debuit. Anno 1909 iterum Romam proficiscitur (5.IV-10.V). Roma reversus in « Humanistica » docet (1910) usque ad mensem septembrem anni 1912, quo mense iterum magister novitiorum in monasterio Krechivensi constituitur. Tempore belli universalis (1914-18) in Croatiam (Zagreb-Jaska-Krizevci) emigravit, sed cessante periculo in Galiciam revertitur (1915, november) et hegumenus in monasterio Krechivensi designatur (1915, december). In Capitulo Krechivensi anno 1917 electus est Consultor Provinciae. Anno immediate sequenti munere magistri et hegumeni Krechivensis resignavit (1918), ut anno 1919 communitati Lavrivensi praeesset temporibus pro monasterio difficillimis. Onus hoc anno 1921 (23.X.) in humera P. Burdiak deposuit, designatus Monialium S. Basilii M. in Stanislaviv magister (25.X.), per spatium unius anni. Inde promotus est ad officium hegumenale Peremysliense (23.VII.1922), sed in novo monasterio-residentia tantummodo per menses quattuor remansit, ut deinde philosophiam in monasterio Krechivensi (8.XII.1922-18.III.1923), Lavrivensi (18.III-10.VII.1923) et demum Krystynopolitano doceret (1923-1926). In Capitulo Zovkvensi, anno 1926, electus est Provinciae SS. Salvatoris Protoconsultor et inde lectoratui valedixit (23.X.1926), ut Protohegumeni in visitationibus canonicis peragendis vices suppleret (1926, 1927, 1928). Anno 1928 (7.II-10.IX) magister novitatus in Krechiv ad interim designatur, antequam officium hoc P. Paulo Teodorovyc commissum fuit.

Liberatus ab hoc onere iterum visitationes canonicas peragit (1929, 1930, 1931) ante, et praesertim post mortem P. Anastasii Kalys, Protohegumeni, specialiter in ordine ad novum Capitulum Generale, electivum, congregandum. Ut Protohegumeni Vices-gerens Capitulo

Dobromylensi anno 1931 praesidebat (24.VI-2.VII), quo in Capitulo electus est vocum majoritate primus Ordinis Basiliani S. Josaphat Superior Generalis, cum titulo Archimandritae (27.VI.1931). Post brevem in Galicia commorationem novus Superior Generalis sedem suam Romae posuit, primum in Castello Gandulphi (7.XI.1931) et dein in ipsa Urbe (11.V.1932). Ibi in monasterio Romano, antiqua Prócuratura Basiliana in Urbe, usque ad suam mortem residuit, tempore vacationum aestivarum in Galiciam excurrando (1932, 1936, 1937, 1938), vel alias Provincias Ordinis visitando (America septentr. 1934, Prov. S. Nicolai, 1936, 1937, 1939). Ceterum per totum fere annum Romae commorabatur (1933, 1935, 1939, 1940-1944).

Laboribus et senectute consumptus moritur, ligatus morbo lethali per trimestre in clinica St-ae Elisabethae. Astantibus Patribus Fratribusque monasterii Romani, die 24 januarii 1944 spiritum Deo reddidit, expleto anno vitae suae 76., monachatus vero 60. Saepul- tus est in coemeterio « Campo Verano » modo provisorio, postquam Excell. et Ill.mus D. Joannes Bucko funeralia solemniter persolvit.

Cum Patre Dionysio Ordo Basilianus S.ti Josaphat non solum suum Superiorem Generalem perdiderit, sed etiam unum ex primis Reformationis Dobromylensis Patribus, zelo animarum et propriae perfectionis ardentem.

Ex documentis, quae supersunt, eius labor internus luce clarior apparet, teste illa in examine conscientiae particulari fidelitate, quae per decennia ne per decem dies cessavit. Et secundum mentem viro- rum spiritualium fidelitatem hanc esse signum et mensuram magni et continui laboris interni ad propriam perfectionem assequendam.

Sed magis adhuc apparet eius activitas sacerdotalis, quae prae- sertim caractere practico notatur et ad varias huius activitatis sec- tiones subdividitur. P. Dionysius erat bonus et diuturnus iuventutis monasticae in virtute (magister novitiatus) et scientiis philosophicis et theologicis (lector) educator, communitatis monasticae ad perfec- tionem peritus dux (hegumenus, exhortator domus, director spiri- tus) totiusque Ordinis supremus custos et moderator (Sup. Gen.). Multi pro formatione sui spiritus ei gratias agunt, alii vero suam formationem sacerdotalem ei adscribunt. Plurimis adhuc extra et intra claustra monasterii fuit spiritualis pater et sacramentorum assiduus dispensator. Toto Ordini directionem vitae et activitatis suis visitationibus canonicis (Protoconsultor: 1926-1931; Sup. Gen.: 1934-1937) et litteris circularibus dedit (1935: de exercitiis spirituali- bus, 1937: Observationes et admonitiones ex visitatione canonica totius fere Ordinis). Testis eius circa salutem et perfectionem ani- marum laboris est magnus numerus exhortationum domesticarum (1889-1943), quas in manuscriptis reliquit.

Character eius laboris practicus et immediatus causa fuit, cur pauca tantummodo typis vulgavit. Ita anno 1910 libellum de « fre- quenti et quotidiana Communione » scripsit, anno 1928 articulum in « *Analectis OSBM* » (vol. III, fasc. 1-2, p. 247) publicavit de « *Kre- chivskyj svolok* », et demum anno 1933 in periodico « *Dobryj Pas-*

tyr » vocem suam audire fecit in quaestione: « Quisnam fuit Cong. Servularum B. M. V. Immac. Conceptae fundator? » (III, (1933), 165-181).

Ecce generalis eius personae in se et in ordine ad Deum et ad proximum delineatio. Magis minuta nobis pro fasciculis « Analectorum OSBM » sequentibus reservamus.

Superiores Provinciales

P. SKIRPAN MARCIANUS NICOLAUS (1866-1884-1941).

Natus est die 30 maji 1866 in Malastiv, districtus Horlycenis, parentibus agricolis. Anno iam 1884, a reformatione Dobromylensi inchoata tertio, die vero 7 decembris novitiatui Basiliano adscribitur, quo absoluto vota simplicia coram P. G. Szczepkowski Deo vovit anno 1886, die 24 augusti. Absolutis humanitatis annis tribus, initio primi anni philosophici Deo publice vota monastica professus est die 8 septembris 1889. Philosophico biennio expleto sacerdos ordinatur (18.VII.1891) et dein theologiae studet usque ad annum 1894. Hoc anno in monasterio Lavrivensi parochiae inservit et in schola docet. Deinde monasterio Dobromylensi adscriptus, procuratorem praedij Bukovensis per annum agebat. Anno sequenti (1896) in ecclesia Krechivensi operatur in vinea Domini, ubi paulatim et vicarius domus constituitur. Sed jam die 16.VII.1897 translatus est in officium hegumenale Ulaskivcense, ubi usque ad annum 1901 permansit, quo anno monasterio Mychajlivcensi adscribitur, hegumeni vices gerens. Sed non iam multo post pro missione Brasiliana eligitur.

Die 12.VII.1902 in Brasiliam venit et Prudentopoli residentiam suam ponit, missionario labore in provincia Parana occupatus, simulque totius Missionis Brasilianae Superior designatur. Anno 1908 in Galiciam proficiscitur, sed paucis post mensibus iterum in Brasiliam revertitur. Anno 1911 omnes fere colonos ucrainos visitavit, baptizando, confessiones excipiendo, concionando. Proficiscitur etiam in Argentinam. Ab anno 1923 (28.VIII) usque ad annum 1929 residet in residentia Iracema, ut domus hegumenus et Missionis Superior. Anno 1929 iterum Prudentopolim revertitur. Anno 1931 secunda vice Galiciam visitavit, Capituli Generalis Dobromylensis causa. Durante sua Galiciana commoratione in monasterio Hosivensi consultor domus designatus fuit. Capitulo Dobromylensi absoluto statim in Brasiliam revertitur, ut Superior Vice-Provinciae Brasilianae, quo officio usque ad annum 1938 est functus. In secundo Protohegumenali lustro protoconsultor Provinciae Brasilianae electus fuit et usque ad suam mortem permansit. Mortuus est autem Prudentopoli, in nosocomio SS. Serv. B. V. M. I., die 10 septembris, anno 1941, vitae suae anno 75, monachatus vero anno 57.

Fuit vir eximius ut homo, sacerdos-missionarius et monachus. Humilis et amabilis, modestus in meritis suis extollendis. Fuit etiam bonus rei oeconomicae cultor et in temporibus Missionis Brasilia-

nae difficillimis sua experientia multum iuvare potuit. Praeter articulos breves in periodicis quotidianis non multa scripsit. Labor enim eius magis immediatus fuit.

P. KRYZANOVSKYJ NAUCRATIUS NICOLAUS (1876-1894-1940).

Natus die 22 maji 1876 in pago Verchobuz, in districtu Zolocivensi, in familia magistri scholae popularis, ex patre Sophronio matreque Anastasia de Gouda. Scholam elementarem in loco, mediam vero in Zolociv frequentabat. Juvenis 18 annorum, die 29 augusti 1894 in novitium Dobromylensem ingressus est, temporibus magisterii P. Andreae Szeptycky. Vota simplicia die 16.IV.1896 Deo vovit et statim studia in monasterio Dobromylensi continuare coepit (1896-98), ubi etiam biennium philosophicum absolvit et professionem die 23.IV.1899 emisit, fiducia Superiorum gaudens. Post unum annum docendi in schola publica Drohobycensi (1900-1) in monasterio Krystynopolitano theologiae se tradidit (1901-1903). Ordinatus demum die 23 augusti 1903 sacerdos, iam duobus fere mensibus post ex dispositione Protohegumeni P. Petri Bapst missionarius in Canada designatur. Cum aliis suis in missione sociis venit in Winnipeg ibique fere usque residet ad annum 1910, variis locis missionarium agens. Ab anno 1911 vero in Mundare apud ecclesiam SS. Petri et Pauli laborat, occupatus cura animarum. Et in illa ecclesia usque ad suam mortem fere semper manet. Ab anno 1923, nucleo futurae Provinciae — novitiatu nempe — creato, (cui et ipse per aliquod tempus praefuit) Superior Missionis designatus est. Simul vitam spiritualem Servularum B. V. M. I., tempus longum dirigebat. Ab anno 1931 (7.VIII), Provincia Americano-Canadensi erecta, Provinciae primus Superior designatus est, postea vero in Protohegumenum electus die 12.I.1933, et demum iterum electus anno 1938, die 20 martii. Hoc officio fideliter fungens in Stenford in U. S. A. mortuus est, nocte 10-11 aprilis 1940, unde corpus in Mundare translatum et sepultum fuit die 16 aprilis.

Fuit vir Ordinis Basiliani insignis, in missione vero Canadensi omnino principalis, plenus zeli et spiritus sacrificii pro salute animarum. Totam terram Canadensem late patentem peragravit animas quaerendo. Curae continuae ei erat educatio religiosa populi nec non Ecclesiae in Canada organisatio et hierarchiae ecclesiasticae constitutio. Laboribus consumptus requiescit anno vitae suae 64, monachus vero 46. Pauca scripsit, pauciora publicavit, sed Provinciam Ordinis Basiliani — opus vivum — reliquit, quae ipsa sua existentia laudes eius semper enarrabit.

P. DOLHY LEONTIUS JOSEPHUS (1883-1924-1942).

Natus est in partibus transcarpaticis die 13 aprilis 1883. Juvenis ingressus est monasterium Basilianum in regione transcarpatica (Mukacevo), ubi iam die 6 junii 1905 professionem monacha-

lem solemnem emisit, et sub finem eiusdem anni in Nativitate Christi Domini (25.XII) ordinatus est sacerdos. Inchoata reformatione in monasteriis transcarpaticis, ipse ad reformationem accessit tantummodo anno 1924 (14.I), et ad novitiatum Krechivensem missus fuit, ubi novitiatu peracto, die 1. maji anno 1925 professionem monasticam renovavit. In suam regionem reversus, unius mensis tempore elapso, iam hegumenus celebris illius monasterii Mariapocsensis designatur, die 9 junii (1925) simulque parochiae administrator. In hac positione usque ad annum 1932 permansit. Anno 1931, Provincia S. Nicolai erecta, designatur « Superior regionis Hungariae », quod munus usque ad electionem Curiae Provincialis dictae Provinciae (22.VII.1932) obtinet. Electo novo Protohegumeno, ipse ab anno 1932 in monasterio Uzhorodensi morbum curat, sed per unum annum tantum; nam iam anno 1934 in monasterio et ecclesia Mariapocsensi officia domestica et ecclesiastica exercet usque ad annum 1939. Tempore transformationis Provinciae S. Nicolai in Provinciam Hungaricam (1939-40), electus est protoconsultor Praepositi duarum regionum (P. M. Jöcsak). Ordinata tandem Provincia S. Nicolai in Hungaria, die 6 decembris, anno 1940, ad officium Protohegumenale est electus, et e monasterio Mariapocsensi Provinciam gubernabat. Post duos annos moritur in monasterio Mariapocsensi, die 9 septembris 1942, vitae suae anno 59, monachus autem anno quadragesimo.

Patres

P. MUSKEVYC AMBROSIUS ALEXIUS (1872-1889-1941).

Natus est anno 1872, die 12 martii in regione Berezany, ex familia silvarum custodis. Ordini adscribitur die 10 novembris 1889 sub magisterio P. G. Szczepkowski. Post novitiatum praescriptum et vota simplicia die 11 augusti 1891 habita, statim pro studiis superioribus in eodem monasterio designatur, quibus absolutis, Lavroviae biennio philosophico (1895-6) ita eminuit, ut una cum aliis quattuor ad studia theologica Cracoviam mittitur (1896-7), professus solemniter iam ab anno philosophiae primo (4.VIII.1895). Finito theologiae anno primo, sacerdos ordinatur (23.VIII.1896) et finito anno secundo theologiae Cracoviae, Krystynopolim revertitur, ut annum tertium et quartum theologiae studeret. Absoluto theologiae studio, Dobromyli linguam latinam, ucrainam, polonam, et graecam successive docet (1899-900). Sed iam anno sequenti socius magistri Monialium S. Basilii M. (P. Tysovski Ign.) in Slovita designatur, non longum tamen post tempus, nempe iam anno scholari 1901-2 lector theologiae dogmaticae in Krystynopol mittitur. Sed iterum anno finito, alio loco et officio eum vidimus, in positione nempe vicarii domus Bucacensis et zelantis in ecclesia eiusdem monasterii operatoris. Tamen post unius anni spatium hegumenus Pidhircensis nominatus est, die 17 januarii 1903, quo in officio usque ad annum 1905 permansit (1.VIII). Translatus demum in monasterium Zovkvense in ecclesia per annum occupatus fuit, per alterum

vero annum idem ecclesiae Bucacensi praestat. Sed iterum, anno 1908 valetudini in monasterio Krystynopolitano consulere debuit, ut anno 1909 vicarium in monasterio Mychajlivcensi agere capax esset. Anno 1910 iterum Krystynopolim revertitur ad officia potius plus quietata, quibus anno proxime sequenti denuo lectoratus in theologia dogmatica succedere debuit per annos scholarum duos, quibus absolutis dispositionem per aliquod tempus expectabat, donec die 1.IX.1913, demortuo hegumeno Zolocivensi P. Ignatio Kossak, Basiliano non reformato, ei in officio hegumenali succedere potuit. Sed iam post anni dimidium onus hegumenale in humeris P. Barlaami Bilyk deposuit die 14 februarii 1914, contentus positione domus vicarii in eodem monasterio. Tempore postbellico eandem positionem in monasterio Krasnopuscensi (1920), Mychajlivcensi (1921) et Bukovensi (1922) occupat; in hoc ultimo monasterio totum decennium permansit, etiam aliis officiis occupatus, ut librorum censoris, confessoris, contionatoris, nec non bibliothecarii. Haec officia curae eius commissa erant etiam postquam anno 1932-33 vicarius in Zavale designatus fuit. Anno 1935 librorum censor et nostrum examinador in monasterio Dobromylensi fungitur. Sed iam anno sequenti in monasterio Zavalensi valetudini consulere debuit, ubi, viribus reffectis, etiam alia officia domestica et ecclesiastica obibat. In hac positione illum aliud bellum universale invenit. Durante occupatione communistica in Zavale remansit et plenus annis (69) et monasticae vitae (52) meritis abundans ad Dominum migravit, ulteriorem vitae terrenae miseriam cum coelestibus gaudiis commutando.

Fuit vir extraordinariae fere memoriae et ingenii, sed defectibus physicis impeditus fuit, quo dotibus his minus uti poterat.

P. BRZUCHOVSKYJ CLEMENS CAROLUS (1875-1892-1942).

Civium Leopoliensium filius, in baptismo Carolus, natus est die 27 octobris an. 1875. Ordini adscribitur die 11 sept. 1892 et votis simplicibus emissis, 23 aprilis 1894, studiis superioribus per biennium se dat. Deinde philosophiae anno primo Lavroviae absoluto (1896-7) pro anno scholae 1897-8 magister scholae Drohobycensis designatur, postquam die 26 sept. 1907 professionem solemnem habuit. In magisterio hoc Drohobycensi usque ad an. schol. 1901-2 permansit, interea sacerdos die 5 augusti 1900 ordinatus. Deinde anno 1901-2 philosophiae anno secundo studuit et hoc studio absoluto ad missiones designatur. Revera iam anno 1903 eum mense iulio in Iracema in Brasilia residere videmus. Inde eius tota activitas missionaria Missioni Brasilianae Ordinis Basiliani dedicata est. In Iracema permansit usque ad annum 1915, ecclesiam et monasteriolum construendo. Deinde in Prudentopoli munere domus vicarii et missionarii fungitur. Ab anno 1920 iterum in Iracema commorabatur, ut loci Superior. Post brevem commorationem Prudentopolitanam (1924-25) in patriam revertitur et die 3.I.1926 hegu-

menus Zolocivensis designatur. Sed octo post menses officium hoc cum hegumenatu Hosivensi commutavit, et usque ad annum 1929 exercebat. Sed laborare in Missione Brasiliana eius magis intererat, inde iam die 17 sept. 1929 hegumenus Prudentopolitanus, Missionis consultor et director spiritualis Servularum B. V. M. nec non typographiae director designatur. Translatus die 23.XII.1933 ad hegumenatum in Iracema, officium hoc usque ad annum 1938 in manibus suis tenebat, munere Secretarii Procuratoris Vice-Provinciae Brasilianae fungens.

Vitae annum 67 agens, monachatus vero 50-um, meritis abundans, moritur Prudentopoli die 12 februarii 1942. Erat vir amabilis, etsi voluntate fortis et ad regimen absolutum proclivis ex natura. Fuit constructor monasteriorum et ecclesiarum, missionarius et populi dux in rebus coelestibus et terrestribus. Totam fere Americam meridionalem peragravit; problematibus apertus, libri amator, bibliothecis consuluit. Vestigia activitatis eius in coloniarum vita concreta eorumque memoriis remanserunt indelebilia.

P. FIDYK BESSARION BASILIUS (1873-1893-1941).

Natus est die 29 januarii 1873 in Luzok, in vicinitate Sambor, ex familia agricolarum loci. Ventennis, in novitiatum admissus fuit a P. Andrea Szeptycky, die 21.X.1893, votaue simplicia emisit anno 1895, die 13 junii in Dobromyl, ibique statim rhetoricae studere coepit (1896-97). Biennii philosophici anno primo absoluto, et professione solemnii die 19.VI.1898 habita, aliisque suis in studiis confratribus ad theologiae compendiariae studium dispositis, ipse in monasterio Dobromylensi magister linguae graecae et germanicae constituitur, lectoratum hunc per annos scholarum duos (1898-1900) exercendo. Durante secundo sui magisterii anno sacerdos ordinatur die 9 aprilis 1899. Tandem anno scholae 1900-1 cursus theologiae dogmaticae annum primum frequentat, et Krystynopoli revera totam theologiam absolvit anno 1903.

Absolutis studiis ad servitium ecclesiasticum in monasterio Bukovensi (1904) designatus, post brevissimum iam tempus pro anno scholae 1904-5 translatus est Krechoviam linguam graecam et germanicam docendi causa. Breve tempus, anno 1906-7, in Drohobyc, in ecclesia et schola laborat, sed anno finito, die 11 augusti 1907 Superior monasterii Mychajlivcensis designatur, quo in officio usque ad annum 1914 perduravit. Hoc vero anno, tristi et sanguinoso, vicarius, consultor et procurator monasterii Ulaskivcensis eligitur. Sed postquam monasterium a Russis occupatum fuit et communitas monastica dispersa, P. Bessarion in Drohobycensi monasterio vicarius creatus fuit. Finito bello iterum in monasterio Ulaskivcensi hegumeni vices gerit (1920) aliaque officia domestica exercet, usquedum die 15 septembris 1921 hegumenus istius monasterii designatur. Non longum tamen post tempus iterum Drohobycensis vicarius creatus est et cancellariae parochialis dirigens. Eadem of-

ficia ab anno 1926 in monasterio Ulaskivcensi secunda iam vice habet per annos fere tres. Ab anno 1930 in monasterio Mychajlivcensi eandem positionem obtinet usque ad annum 1937, excepta sua designatione unius anni (1933) ad monasterium Ulaskivcense. Anno demum 1937 « perpetuus ille vicarius » Bessarion ad monasterium Bukovense pro hoc eodem scopo venit et usque ad annum 1939-40 permansit. Monasterio vero Bukovensi a communistis occupato, Dobromylim transmigravit, et ibi, longo iam morbo confectus, aetate 68 annorum gravatus, monachus vero 48 annorum in requiem aeternam migravit, quae nullam iam mutationem vel translationem habebit, die 4 januarii 1941.

Fuit vir genuinae conscientiae, in sua iuventute primitivae severitatis, quae vitali experientia in senectute in clementiam et indulgentiam transmutata fuit.

P. WACURA JACOBUS JOSEPHUS (1875-1893-1942).

Natus anno 1875, die 24 februarii ex parentibus agricolis. Ordini Basiliano nomen dedit die 3 septembris 1893 in monasterio Dobromylensi, ubi perfecto novitiatu, dirigente P. Andrea Szeptyckyj, anno 1895, die vero 21 aprilis vota simplicia Deo promisit statimque superiora studia continuare coepit per annos integros tres. Anno demum 1897-8 philosophiae studuit Dobromyli et anno primo absoluto, designatus est socius praefecti convictus in Bucac, postquam die 24 aprilis 1898 professionem solemnem emisit. Finito anno scholae iterum philosophiae studere coepit, anno 1899-1900, et anno secundo absoluto rebus theologicis Krystynopoli occupatur (1900-1), ubi post annum theologiae primum, sacerdos ordinatus est die 18 julii 1901. Postquam in studiis theologicis adhuc per annum continuavit, statim studiis absolutis, in Krystynopoli in vinea Domini applicari coepit inde ab anno 1904. Sed iam anno proximo in monasterio Bucacensi commorabatur, deinde vero in Zovkva (1907) et Krystynopoli (1908) in domo et ecclesia insudabat, donec die 10 octobris, anno 1909, hegumenus Bucacensis designatur. Officium hoc deinde usque ad annum 1913 obtinet. Finito suo lustro anno 1913 in officium vicarii domus Mychajlivcensis est translatus et in schola catecheta designatur. Anno sequenti iam in monasterio Zovkvensi eadem officia exercet. Primis annis belli universalis primi in captivitate russica detinetur, deportatus una cum aliis patribus et fratribus ex monasterio Zovkvensi. Sub finem tamen belli in patriam reversus est, nam iam die 1 septembris 1918, tempore in Galicia difficillimo, hegumenus Leopolitanus designatus est et domus procurator. Et revera novus hegumenus monasterium communitatemque monasticam periodo hoc periculosissimo feliciter conducebat. Finito iterum suo lustro hegumenali iterum vicarius domus in Ulskirci designatur. Anno sequenti (1925) idem munus in monasterio Mychajlivcensi obtinet, donec anno 1926 in monasterio Hosivensi missionarius constituitur. Post annos demum tres operat in Pidhirci

(1929) in domo ut vicarius, in ecclesia vero ut concionator, confessionum auditor et congregationum ecclesiasticarum director. Ab anno demum 1933 in eodem monasterio Vice-Superioris locum tenet, vacante officio hegumenali. Sed jam anno 1933-4 Krechoviam proficiscitur et domus spiritum dirigit per annum. Postea domus vicarius in Krasnopusca designatus est, anno vero 1937 hegumenus monasterii Pidhircensis, die nempe 12 junii, occupatus simul et aliis officiis consuetis, tum domesticis, tum ecclesiasticis. In eodem monasterio eum bellum universale secundum invenit et huius belli incommoda, pericula et deinde ipsa naturalis mors, quae ei die 13 aprilis 1942 occurrit, in anno vitae suae terrenae 67, monachatus vero 49.

P. KYSIL PETRUS PAULUS (1883-1897-1939).

Natus est in Usmyr prope Varjaz, in Galicia, die 9 januarii 1883. Finito anno vitae decimo quarto ingressus est Ordinem Basilianum die 4 maji 1897. Post novitiatus tempus praescriptum, magistro P. A. Baudiss (S. J.), tandem die 18 decembris anni 1898 vota simplicia emisit, statimque Dobromyli studiis humanitatis et rhetoricae se dedit usque ad mensem julium anni 1902, quando finito philosophiae anno primo, una cum tota Dobromylensi communitate Krechoviam migravit, ubi anno philosophiae secundo absoluto, in monasterio Krystynopolitano usque ad annum 1907 residet, studiis theologicis occupatus. Ibi etiam professionem solemnem die 27 sept. 1904 habuit. Theologiae anno tertio absoluto, Krechoviae magistri munere fungitur, historiam universalem, geographiam et linguam graecam docendo. Anno scholae finito sacerdos ordinatur die 15 augusti 1908. Deinde per unius anni spatium Romae in Collegio Rutheno commorabatur, studii et adiutorii causa. Sed jam anno sequenti eum in lectoratu philosophiae in monasterio Lavrivensi videmus. Anno 1911, altera huius anni parte, iterum Romam proficiscitur, ut se pro lectoratu in Studio Theologico Basilianorum praepararet. Et revera iam anno 1913 in patriam reversus, Krystynopoli professorem theologiae agit, interruptus paulo post eventibus bellicis. Inde Krechoviae tempore bellico in Humanitate docet. Ab anno 1920 Krystynopoli vicarius domus et spiritualis Servularum B. V. M. I. director designatur, sed iam anno proximo promotus est in Virectorem Seminarii Archidioecesei Leopolitani simulque theologiae dogmaticae specialis lectorem, quae munera usque ad annum 1925 obibat. Ad suos reversus Krystynopoli iterum per annos duos philosophiam docet, qui lectoratus tandem anno 1928, die 14 augusti finem habet, postquam procurator et dein hegumenus monasterii Zolocivensis designatus fuit. Officium hoc usque ad annum 1933 in manibus suis habuit, quo anno lustrum hegumenali finito, valetudini per annum in monasterio Bukova consulere debuit. Viribus reffectis ab anno 1935 in Zovkva rebus scriptoris occupatur, redactionem « Bibliothecae relig. osvity » dirigendo, cui postea quasi perio-

dicum « Duspastyrskyj Kalendar » adjunxit (1937-39). In eodem monasterio etiam post morbum longum et gravem occubuit in Domino die 10 junii 1939, anno vitae suae 56, monachalis vero anno 42.

Natura fuit homo mitis, modestus, conscientiosus. Educatione interna devenit optimus monachus, bonus magister vitae spiritualis et scientificae, nec non director desideratus exercitiorum spiritualium pro hominibus excultis. Mens profunda in scriptis eius apparet. Scripsit in variis periodicis ucrainis et exteris de re theologica et ascetica. Exceptis articulis, scripta eius maiora tractant de « divina mensura » (scil. coelo), de « Immaculata Conceptione B. V. M. ». Dat seriem « lectionum spiritualium tempore votorum renovationis perlegendarum », deinde disseruit « de bono monachi exemplo » nec non de « Divina Providentia in administratione bonorum temporalium ». P. Petrus Kysil potest dici pauca scripsisse, sed quidquid scripsit bene scripsit. Inde vestigium eius in bibliographia Basiliana recentiori indelebile erit.

P. SOCHACKYJ ANDREAS ANTONIUS (1878-1898-1939).

In regione Brodensi, in Galicia, natus est ex familia simplici die 24 novembris, anno 1878. Vitae suae annum vigesimum agens, die 30 novembr. 1898 ingressus est novitiatum Dobromylense. Finito novitiatu sub directione P. A. Baudiss, die 14 iulii 1900 vota simplicia Deo vovit et statim annum humanitatis primum inchoavit in ipso monasterio Dobromylensi. Absoluta autem rhetorica et novitiatu studiisque humanioribus Krechoviam translatis, Andreas noster professione solemniter die 16 augusti 1903 emissa, linguae latinae in primo humanitatis anno et novitiatu nec non linguae germanicae lector designatur (1903-1904), quod factum sane extraordinarium dici debet ingeniique eius nimis clarum dat exemplum. Anno sequenti etiam linguas ibidem docet. Tandem cum novo anno scholae 1905-6 in studiis suis ad sacerdotium consequendum ut anni philosophiae primi auditor continuari coepit in monasterio Krechivensi. Philosophiae tamen anno secundo Lavroviae studuit (1906-1907). Anno sequenti missus est pro studiis theologicis in Innsbruck, ubi finito theologiae oenipontanae anno primo ordinatus est in patria sacerdos anno 1908, die 30 augusti. Tandem studiis absolutis in patriam reversus est anno 1910, et lector linguae graecae et germanicae in Krechiv designatur, ubi etiam in ecclesia laborare coepit inde iam ad anno 1910. In sua nova occupatione ita proficit, ut iam anno 1912 praefectus studiorum superiorum et domus Krechivensis consultor est designatus. Sed iam anno proximo ad monasterium Mychajlivcense disponitur, ut domus vicarius, in schola catecheta et in ecclesia concionator et confessarius. Inde studiis suis linguisticis valedicere debuit. Bello demum universalis (1914-18) erupto illiusque belli saevitiae in anima eius teneri impressionem profundam fecerunt, ita ut vitae eius cursui directionem omnino aliam dederunt. Gravi nempe morbo mentali gravatus, jam ab anno 1915-16 in nosocomio leo-

politano morbum curare debuit, sine ullo tamen successu. Mors tandem, secundo bello universali exorto, redemptionem ei attulit die 16 decembris anno 1939, vitae terrenae 61, monachalis 41 et dolorosae anno 25. Sit ei altera vita felix, sicut terrena sors tristis.

P. BAGAN INNOCENTIUS JOSEPHUS (1886-1906-1943).

Natus est die 11 julii 1886 in Sokyrczydzi, ex parentibus agricolis. Anno 1906, 29 aprilis, admittitur in novitiatum Krechivensem, directum a P. D. Tkacuk. Emissis votis simplicibus die 22 decembris 1906, statim anno primo humanitatis studiorum adscribitur in eodem monasterio, ubi etiam rhetoricam absolvit. Deinde ab anno 1910-11 philosophiae studuit in monasterio Lavrivensi, qua absoluta anno schol. 1912-13 una cum aliis sex magistris clericis in schola missionaria Bucacensi docet cursumque hunc professione solemni in Krechiv conclusit, ubi anno scholae 1913-14 linguam graecam confratres suos docuit. Belli universalis anno primo missus fuit studii theologiae causa in Innsbruck. Studiis nondum absolutis ordinatus est die 17 julii, 1917. Temporis postbellici annis primis in studiis suis oenipontanis continuavit, examina doctoralia in Canisiano parando. Anno 1923 in patriam reversus, laurea doctorali insignitus, statim applicatur ut lector linguae ucrainicae, paleoslavicae et germanicae in monasterio studiorum superiorum Lavrivensi (1923-4). Translatus dein anno 1926 in Bucac, designatur domus vicarius et in Instituto Bucacensi linguarum lector. In eodem monasterio successive etiam hegumenus constituitur die 20 octobris anni 1930, simulque domus procurator et studiorum praefectus, aliis occupationibus domesticis et ecclesiasticis retentis. A die 12 julii anni 1932 consultor Provinciae SS. Salvatoris confirmatus est, consilia sua R. P. S. Resetylo suppeditando. Mutato tamen regimine Provinciali anno 1935, die 6 augusti, non iam consultoris munere fungitur. Demum anno 1935-7 lector exegeseos et linguae hebraicae in Studio Theologico Lavrivensi designatur, ubi post anni unius periodum etiam monasterii hegumenus est designatus (12.VI.1937), suum officium lectoris retinens. Praeterea administrator parochiae et studiorum praefectus simul creatur usque ad bellum universale secundum. Advenientibus communistis mense septembri anni 1939 simul cum Studio Theologico versus occidentem migravit et usque in Seminarium dioecesanum Olomucense advenit, ubi anno 1940 officio hegumenali exoneratus fuit. Deinde per aliquod tempus Praegae Bohemorum vivit et dein in Poloniam proficiscitur et in Varsaviensi monasterio residentiam suam posuit. Ibi etiam vitam terrenam pro coelesti commutavit die 7 aprilis 1943. Vixit annos 57, perfectionem vero evangelicam per annos plenos 37 quaesivit.

Fuit optimus lector, bonus rei oeconomicae administrator, sed in communitate monastica gubernanda et educanda forse non ita felix.

P. BOJCSIK SEBASTIANUS JOANNES (1890-1921-1939).

Natus die 11 junii 1890 in regione Transcarpatica, ibidem etiam in monasterio Mukacivensi monachus Basilianus factus est, iam inde ab anno 1914, die 19 aprilis, vitam perfectiorem solemniter professus. Ibi etiam eodem anno, die 21 septembris sacerdos ordinatur. Statim etiam sacerdos neoordinatus ad laborem pastorem applicatur et quidem in temporibus difficillimis magni belli universalis. Europa pacificata, iam anno 1921 Provincia Transcarpatica ad reformationem Dobromylensem accessit die 6 aprilis. Et statim eodem ipso anno P. Sebastianus primus quasi fuit, qui die 6 junii 1921 reformato novitiatu Mukacivensi nomen suum dedit. Inde iam anno 1922, die 27 iulii professionem renovare potuit, qua renovata statim in monasterium Lavrivense mittitur. In Lavriv, labore ecclesiastico occupatus, P. Sebastianus formationem suam Basiliani reformati perficit. Reversus tandem ad suam provinciam anno 1923, in monasterio Mariapocsensi eadem officia ac in monasterio Lavrivensi exercebat. Praeterea designatur domus vicarius et consultor, catecheta, missionarius, et congregationum ecclesiasticarum moderator. Hisce occupatus usque ad annum 1939 in eodem monasterio permansit; ab anno tamen 1933 officio domus vicarii renuntiavit, sed redactionem periodici « Szivgarda » assumere debuit. Mortuus est anno vitae suae 49, monachus vero trigesimo, in monasterio Mariapocsensi, die 2 septembris an. 1939.

P. LUKAN ROMANUS STEPHANUS (1907-1926-1943).

Natus est in Starunia die 17 septembris, anno 1907, ut filius loci agricolae. Vitae perfectiori nomen dedit in novitiatu Krechivensi die 12 februarii 1926, ubi etiam anno sequenti se Deo simpliciter obtulit statimque in annum secundum studiorum humanitatis properavit (1927-8). Dehinc cursus eius in Ordine Basiliano studiorum ordine et modo consueto procedebat. Absoluta Lavroviae rhetorica, Dobromyli per biennium philosophiae studuit (1929-1931), qua absoluta Krystynopolim ad Studium Theologicum properavit (1931-2), ubi, post duos annos solemniter vota monastica Deo professus, (15.II.1933) sacerdos ordinatur (13.VIII.1933). Demum in monasterio Zovkvensi ultima examina theologica per annum paravit. Toto studiorum suorum tempore bibliothecarium adjuvabat et mirabiles fere dotes ad res bibliographicas monstravit ita, ut quasi naturaliter, studiis absolutis, (1934) in monasterium Leopoltianum mittitur, ut Secretarium Provinciae adjuvaret, Archivium et Bibliothecam Curiae Provincialis dirigendo. Revera, bibliotheca inordinata manente, ipse P. Romanus eiusdem bibliothecae catalogus vivens fuit. Fundavit statim « Vistnyk centralnoho Vasylianskoho Archivu i biblioteky ». Jam ab anno 1931 vox sua in rebus bibliographicis audiebatur. Iuvenis adhuc, membrum activum Ucrainici Regionalis

Musei « Bojkivscyna » eligitur; collegit iam hoc tempore plenam bibliographiam Basilianorum a saec. xvii usque ad tempora novissima. Redigit « Catalogum OSBM Prov. SS. Salvatoris »; scribit in periodicis scientificos articulos de monasteriis Galiciae et Ucrainae. Habet suos articulos etiam in periodico « Litopys Bojkivscyny », valoris scientifici, de obiectis historicis.

Simul cum hac vita scientifica aliam non minus difficilem vivit, sacerdotalem nempe. In ecclesia monasterii Leopolitani confessiones poenitentium vere multorum patienter et scienter excipit. Ceterum eius vita laboriosa eventibus externis non est dives. Tempore belli, nempe durante prima occupatione communistica, Leopoli remanet penes suum archivum et bibliothecam, quam prudenti actione sua Ordini salvare adhuc potuit. Advenientibus exercitibus germanicis eius activitas reviscit, immo augetur. Absente redactore « Analectorum OSBM », parat volumen quintum « Analectorum », totum monasterio Lavrivensi dedicatum. Praeterea multa parabat et in manuscriptis in variis elaborationis stadiis reliquit, morte immatura in eorum publicatione impeditus.

Valetudinis in vita satis bonae, mortuus est morte vere subitanea, curru militari in via ante monasterium Leopopolitanum conducente vulneratus, die festivo S. Josaphat, nempe 28 novembris 1943, anno vitae suae 36, monachatus vero 17. In eius persona Ordo S. Basilii et scientia membrum vere pretiosum amisit.

P. KACMARSKYJ LAURENTIUS VOLODIMIRUS (1912-1929-1941).

Natus est juvenis ille die 8 decembris, anno 1912. In Ordinem Basilianum admissus fuit iam anno 1929 (16.IX) et a magistro P. Paulo Teodorovyc in vitam monasticam introductus fuit. Finito novitiatu et votis emissis (3.V.1931) statim Lavroviae in studiis humanitatis applicatur, ab anno primo. Dobromyli philosophiae studuit (1934-36), professus est monachatum die 12.II.1935, et iterum Lavroviam pro studio theologiae proficiscitur (1936-7). Finito anno theologiae tertio (1938-9), bellum universale et aggressio communistica ex Oriente P. Laurentium una cum aliis versus Occidentem movit, ut sacerdotium Christi consequi posset. In octobri eiusdem anni una cum aliis in Olomucensi Seminario Dioecesano annum theologiae quartum et sacramentum ordinis e manibus episcopi Pauli Gojdic accepit. Tempore autumnali anno 1940 in patriam revertitur et in monasterio Peremysliensi de animis proximorum cum zelo primitivo curare coepit. Tandem nova belli perniciosi fasi inchoata, in monasterio Peremysliensi telo hostili percussus, occubuit in Domino die 26 junii 1941, vitae suae anno 29, monastici vero curriculi anno duodecimo.

Fuit juvenis corpore Sampso, corde vero agnus; ad poësin et meditationem proclivis; durante studio fratribus tamquam Samaritanus misericors fere semper inserviebat.

P. SKUBLENYJ BASILIUS VOLODIMIRUS (1914-1929-1940).

Natus est 28.X.1914 in Canada ex familia agricolae immigrati. In novitiatum Mundarensem ingressus est die 14 januarii 1929, novitiatu sub cura P. S. Diakovyc manente. Die 14 septembris 1930 vota simplicia emisit, annumque primum humanitatis inchoavit. Studiis superioribus tandem absolutis (1934), anno 1934-35 philosophiae studuit, quod studium biennale professione votorum solemni obsignavit die 25 iulii 1936. Anno scholae 1936-37 theologiae studere coepit, et anno schol. 1937-38, secundo theologiae anno absoluto et presbyteratus gratia accepta (die 2 octobris 1938), anno 1938-39 in Universitate Gregoriana, Romae, inscriptus est.

Sed absoluto studii Romani anno secundo et tertio iam anno inchoato, in morbum gravissimum incidit, quem morbum iuveni 26 annorum mortalem fore, nemo suorum confratrum et Superiorum sperare potuit. Et tamen in Civitate Aeterna Basilianus iuvenis levita Basilius, adstantibus Patribus Curiae Generalis eiusque in studiis confratribus, animam Deo reddidit die 26 novembris anni 1940, monachus annu undecimu agens.

Fuit iuvenis mentis profundae, cordis optimi. Pro sua modestia, clementia et amore fraterno ipsum mercedem suam in coelis iam esse possessurum speramus.

P. JAREMCUK HIERONYMUS MAXIMUS (1909-1931-1942).

Natus est in pago Tarasivka (Galicia), die 20 decembris 1909. In Ordinem ingressus est iam ut iuvenis maturus die 11 decembris 1931. Vota simplicia, peracto rite novitiatu, die 3 iulii 1933 emisit, statimque philosophiae studere coepit (1933) Dobromyli. Secundo anno philosophiae absoluto magister physicae, matheseos et linguae germanicae in Instituto Bucacensi est designatus (1935-1936). Tandem finito anno scholae studia theologica inchoavit (1936-7) Lavroviae, ubi die 3 maji 1937 et professionem solemnem habuit. Jamjam imminente bello sacerdos ordinatur die 2 iulii 1939. Advenientibus tandem communistis, iuvenis sacerdos regiones magis pacatas et quietas quaesivit et post varias difficultates superatas in universitate München (Bavaria) inscriptus est pro studio matheseos. Ibique, plenum aspirationibus et vita, inter suas occupationes scholasticas quotidianas, eum mors immatura ad coelestia avocavit in anno vitae 33 et monachus anno undecimo. Mortuus die 25 octobris 1942, sepultus est in Waldfriedhof in München.

Fuit iuvenis valde mitis et modestus. Durante suis studiis fere semper socius patris nosocomi designabatur et revera plenus misericordiae et fraterni amoris fratribus suis aegrotantibus inserviebat. Sit ei Christus misericors Samaritanus, sicut et ipse Christi verbum implere conabatur: « Quidquid feceritis uni horum, mihi fecistis... ».

P. KOSTRUBA THEODOSIUS THEOPHILUS (1907-1939-1943).

Natus est ille vir notus in Jaholnycia Stara, in Galicia, anno 1907, die vero 23 maji, ex familia scholae elementaris magistri. Scholam mediam in civitate Cortkiv frequentavit, postea vero in universitate Leopolitana, in facultate philosophica scientiis historicis studuit. Absoluto studiorum curriculo, cursum vitae scientificae arripuit et mox sibi articulis in variis periodicis publicatis nomen in societate intellectuali Galiciana comparavit. Vir aestimatus et notus, annum 32 agens, vestem filiorum Divi Basilii Magni induit anno 1939, pridie magni illius belli universalis, quod bellum eius nobile intentum impedire apparebat. Advenientibus nempe exercitibus communisticis, novitiatus Krechivensis dispersus fuit, sed noster Theodosius vestem monachalem semel indutam non jam amplius deposuit, sed se monachum profitebatur et aliis in monasteriis vixit, se ad statum sacerdotalem praeparando. Tandem annuentibus Ordinis Superioribus in titulum paupertatis ordinatus fuit Leopoli. Zelo animarum premitur, sed vires eius debiles non amplius sufficiunt. Decumbens in clinica Leopoliensi, gravi operatione chirurgica perpressa, moritur die 3 martii 1943, 36 annum vitae agens, in monastica veste Divi Basilii quintum.

In P. Theodosio societas ucraina, Ordo Basilianus et Ecclesia ucraina catholica virum doctum, qui magna promittebat, perdidit. Jam in sua vita tam brevi multa scripta et publica reliquit, sed maxime in variis editionibus periodicis dissipata. Ambitus eius articulorum fuit historia terrarum Ucrainae, earumque virorum illustrium, eventuum majorum, Ecclesiae et monasteriorum, nec non urbium (ex. gr. Cortkiv, Biloboznycia), et alia multa. (Cfr. ex. gr. « *Analecta OSBM* », vol. IV, 1-2; VI, 1-2; « *Anal. Soc. Sc. Sevcenko* », vol. CL; porro in « *Nova Zorja* », NNri: 680, 682, 700-703, 901, 905, 918, 925, 928, 933, 934, 938, 953, 957, 963, 964, 965, 967, 969, 972, 974, 976, 1025, 1029, 1030, 1032, 1037, 1038, 1055, 1069, 1067, 1070, 1075, 1085, 1093, 1104, 1163, 1165, 1169, 1171, 1175, 1179, 1181, 1189, 1191, etc.).

Scripta eius eminent methodo scientifica, mente synthetica, et vivo narrationis modo. Hisce articulis et talibus proprietatibus gaudentibus sibi certe nomen in bibliographia Ucrainae comparavit indelebile.

Scholastici**SCH. KUZIEMKA BASILIUS VALERIANUS (1920-1935-1942).**

Juvenis ille natus est die 1 julii 1920 in Lezajsk. Finito anno studiorum scholae mediae quarto ingressus est tirocinium Basilianum Krechivense anno 1935, die 29 augusti. Die vero julii 25, anno 1937, votis simplicibus emissis post brevem votorum temporalium periodum, studiis superioribus continuadis, Dobromyli, applicatus est, ubi

eum et bellum universale anno 1939 invenit. Imminente occupatione communistica profectus est in suum locum nativum, unde post breve tempus ad monasterium Krystynopolitanum advolavit et studio philosophiae applicatus fuit. Absoluta philosophia et theologiae studio inchoato, valetudini debili consulere debuit et profectus est in Cortkiv. Ibi cursus vitae eius brevis finem habuit in nosocomio urbano. Mortuus est in summa iuventute, summa aestate anni 1942, die 17 iulii, annum vitae vigesimum secundum, monachatus vero septimum agens.

SCH. TOVT JUSTINUS (1915-1935-1939).

Natus est juvenis iste die 26 iulii, anno 1915, in regionibus Hungariae et juvenis annorum viginti in novitiatum Mukacivense ingressus est, die 12 septembris anno 1935. Post novitiatum tempus legitimum expletum, die 24 aprilis 1937 vota simplicia emisit statimque studiis superioribus applicari coepit, sed mors immatura cursum vitae juvenilis et monachalis interruptit. Mortuus est in monasterio Uzhorodensi, die 21 martii 1939, anno vitae suae 24, monachatus vero quarto.

Fratres Coadjutores

FR. IVANCEVSKYJ JOSAPHAT MICHAEL (1859-1887-1941).

Natus est bonus senex anno 1859 in Miedzyrzecz ex parentibus agricolis, die 27 octobris. Vicesimum octavum annum agens, die 29.III.1887 vitam monachalem arripuit et post primos in vita spiritali gressus jam die 12 novembris 1888 vota simplicia Deo vovit. Primis annis suae vitae monasticae coquum Krystynopoli egit, ibique etiam professionem solemnem votorum monasticorum die 18 januarii 1892 fecit. Anno 1896 idem servitium monasterio Lavrivensi prae-stabat. Deinde in Mychajlivka (1897) et Drohobyc culinam dirigebat (1898-1900). Annis 1901-1903 in Ulaskivci communitati monasticae cibum parabat et sacristiam dirigebat, sed jam anno 1904 in Zovkvensi coenobio culinae praeest, 1906 vero in Bukova. Anno 1908 ad res domesticas in Pidhirci adhibetur ita tamen, ut anno 1910 iterum suum servitium principale in Krasnopusca exercere potuit. Sed vir 55 annorum anno 1914 valetudini consulere debuit in Mychajlivka, unde in captivitatem russicam abductus fuit durante primo bello universali, una cum aliis confratribus eiusdem monasterii. Tempore postbellico, anno 1920 ad domestica in Ulaskivci adhibetur, paulatim vero in sacristia (1921) et demum etiam in culina (1922), quod servitium iam anno sequenti alteri cedere debuit. Anno 1926 genus sui in monasterio servitii mutatur, quando socius oeconomus in Zavale designatus fuit. Sed iam anno 1930 etiam ab hoc servitio auxiliari cessare debuit et in domesticis monasterii Mychajlivka occupatur. Anno 1931-1936 valetudinem in Zavale curabat et dein usque ad suam in dicto monasterio mortem pro Ordine

orabat, rebus minimis monasterii occupatus. Tandem senes 80 annorum bellum novum videre debuit et communitatis monasticae angustias. A nova tamen deportatione praeservatus fuit sua aetate. Fatigatus vitae vicissitudinibus Josaphat noster, aetate in Ordine omnium maior, oculos suos in Domino clausit die 5 februarii, anno 1942, in monasterio Zavalensi.

FR. MAZUR BENEDICTUS BASILIUS (1865-1886-1940).

Natus est die 25 augusti 1865. Anno vitae 21 finito in monasterium Dobromylense, fere in ipsis Reformationis initiis, ingressus est die 26 augusti 1886, ubi etiam sub directione primi Reformationis Dobromylensis magistri vota simplicia emisit die 28 aprilis 1888. Postea per aliquod tempus Leopoli commorabatur tamquam in ecclesia cantor et vestiarii monasterii custos. Ordinem Basilianum solemniter proficitur anno 1891, die 20 junii. Deinde successive in monasteriis Galiciae: Dobromylensi (1893: janit., villic., cell.), Bukovenski (1898), Ulaskivcensi (1899), Mychajlivcensi (1901), iterum Dobromylensi (1904) et Krasnopuscensi (1905-1908) commorabatur. Postea per triginta fere annos extra claustra monasterii vivit et proinde in catalogis Ordinis non amplius apparet. Demum anno 1938, senectute suadente, plus quam septuaginta annos agens in Provincia Americano-Canadensi apparuit, habitum monasticum resumpsit, et poenitentia peracta in monasterio Chicagoensi commorabatur de sacristia ecclesiae curando. Sed iam anno 1940, die 30 augusti mors ei, aetate plus quam 75 annorum, obviam venit et in habitu monastico corpus eius terrae tradidit, anima cum Deo et Ordine reconciliata.

FR. OWSIANY STANISLAUS JACOBUS (1871-1889-1942).

In Izdebki, in familia simplici natus est die 10 julii 1871 filius, baptizatus Stanislaus in ritu latino, qui anno 1889, die vero 3 januarii, Ordini Basiliano in Galicia existenti et ad novam vitam reformato, nomen suum dedit. Ex privilegio Ordinis Basiliani ex ritu latino in graecum transeundo, post novitiatum vota tantummodo temporalia emisit, de anno in annum renovata, quae nonnisi die 7 aprilis, anno 1900, in perpetua transmutata sunt. Primis annis in Dobromyl et deinde in monasterio Krystynopolitano suam artem lignorum fabris exercebat, cui postea alia monasteria successerunt: Bucac (1895), Krechiv (1900), Zovkva (1903), ubi et professionem solemnem die 14 januarii habuit. Altera vice in monasterio Bucacensi anno 1913 sua servitia pretiosa praestabat. Tempore belli per aliquod tempus januam monasterii Zovkvensis custodiebat. Deinde suam artem denuo exercere coepit in monasterio Krechivensi (1922), Krasnopuscensi (1926) et demum Dobromylensi (1928), ubi usque ad finem anni 1939 permansit. Durante bello universali

secundo in suo loco nativo, et dein in monasterio Peremysliensi degebat, ubi et mortuus est anno 1942, die 12 martii, annum vitae 71, monachus vero 53 aens.

Fuit vir, qui labore variis monasteriis praestato et conscientia in sua vita monachali eminuit.

FR. BIDOLACH HERMANUS GABRIEL (1869-1894-1942).

Natus est fr. Gabriel die 22 iulii 1869 in Galicia, ex parentibus simplicibus. Annum 25 vitae aens ingressus est novitium Dobromylensem, directum a Patre Andrea Szeptycky, anno 1894, die 29 aprilis. Emissis votis temporalibus, statim in monasterium Zovkvense designatur, ubi arti typographicae se dedicavit. Erat nempe frater Hermanus, qui typographiae Zovkvensi ab ipsis incunabulis assistebat, et parens eiusdem dici aliquomodo potest. Tandem anno 1898, die 30 januarii vota perpetua emisit, anno vero 1901, die 11 februarii, Ordinem Basilianum solemniter profitetur. Inde fere continue in monasterio Zovkvensi commoratur, servitium typographi, immo directoris cancellariae typographicae et praefecti typographorum praestando (1902-3), et demum totum institutum typographicum Zovkvense administrando (1904). Sed annis 1905-6 in eius vita typographica mutatio aliqua notari debet. Fuit nempe in monasterium Bucacense designatus, ut ianuam et vestiarium convictus Bucacensis custodiret. Sed iam anno proximo ad suam typographiam revertitur (1907), et usque ad bellum universale primum ininterrupte permansit. Tempore belli pars communitatis monasticae Zovkvensis a russis in captivitatem abducitur, sed fr. Hermanus in sua officina remansit. In hac positione eum etiam bellum secundum invenit, quo bello saeviente, fr. Hermanus suam caram typographiam ad tempus relinquere debuit in exilium abiens, occupationem communisticam evitare cupiens. Post durum expectationis tempus in exilio tandem ad suam typographiam revertitur, secunda medietate anni 1941. Sed post unius anni tempus, plenus sudorum et laborum, ut typographia splendorem suum pristinum recuperaret, a Deo remuneratore avocatus fuit ad coelestia die 13 septembris, anno 1942, in vitae suae anno 73, monachus vero 48.

Fuit vir magnae intelligentiae et experientiae. Artem suam cognoscebat et semper fideliter et optime exercebat. Publicationes tantum Basilianae editionis, quae in manibus eius fuerunt computantur plus quam 500. Certe bona harum publicationum executio etiam nomen typographiae directoris memoriae conservabit. Fuit homo, cui etiam res scriptoria non fuit aliena. Scripsit multos articulos in periodico « Missionar », et ultimis temporibus dedit traductionem e lingua germanica, sub titulo « Nimecka Kuznia » auctoris F. Nabor.

FR. KOSARCYN SPIRIDION SIMEON (1873-1900-1943).

Natus est frater Simeon in Nahirjanka Bucacensi die 14 febr. anno 1873. Admittitur ad statum perfectionis die 17 januarii 1900 a P. A. Baudiss, dirigente novitatus Dobromylensis. Vota simplicia emisit iam die 29 augusti 1901 in manus eiusdem magistri. Artem sartoriam addiscit iam ante suam vitam monasticam et inde statim, novitiatu absoluto, in monasterium Mychajlivcense mittitur, ubi multa servitia domestica exercet, a culina et ianua incipiendo, usque ad sacristiam. In eodem monasterio ab anno 1905 dirigit fabricam textilem, remissis omnibus aliis occupationibus fr. Eliae Delenko. Ibi etiam publice statum perfectionis professus est die 12 iulii 1906. Deinde (1908) januam, vestiarium et triclinium in Instituto Bucacensi custodit, sed anno proximo iterum in Mychajlivka deget, ut janitor, sacristanus et hortulanus. Anno 1910 vidimus eum ut triclinii custodem et infirmorum curatorem in monasterio Lavrivensi. Postea adiuvat expeditionem librorum in Zovkva (1911), deinde erit cellarius et sacristanus Ulaskivcensis (1912), Bucacensis (1913), et tandem ab anno 1914 usque ad annum 1933 oeconomus et silvae custos Zvenyhorodensis et in Zelena. Anno 1933 monasterium cum fr. Pr. Vojtovyc mutavit et in Zovkvam profiscitur, ubi ad annum 1937 oeconomum et silvae custodem agit. Remisso denique (1937) hoc servitio iunioribus confratribus, ipse adiuvat expeditionem librorum in monasterio Zovkvensi eiusque nempe typographia. Durante bello, variis servitiis occupatur in monasterio Zovkvensi, ubi etiam mortuus est die 17 decembris 1943, anno vitae 70, monachatus vero 43.

FR. BOBYK STANISLAUS MICHAEL (1876-1900-1942).

Die 14 octobris 1876 natus, ingressus est Ordinem die 5 martii 1900, anno 25 vitae suae. Novitiatu absoluto vota simplicia Deo vovit die 17 octobris 1901. Deinde per aliquod tempus Dobromyli ut sacristanus et infirmorum custos remansit. Sed novitiatu e Dobromyl Krehoviam translato, ipse ad servitia monasterii Zovkvensis designatur, ut in typographia laboraret et fratres infirmos curaret. Sed iam anno sequenti in monasterio Lavrivensi praefectus fabricae lignorum constituitur, tempore tamen a suo negotio principali libero, vestiarium, triclinium et sacristiam custodivit. Deinde iterum Zovkvam revertitur (1906) ut rem typographicam iuvaret, sacristanum ageret (1908), cellaria curaret (1909); ad haec ultima officia perficienda etiam in alia monasteria mittitur: Drohobyc (1910), Bucac (1911), et iterum Zovkva. Ibi etiam ab anno 1913 expeditione librorum occupatur. Anno immediate sequenti sacristanus Leopoli per annum manet, ut bello erumpente nomen suum militari servitio daret, unde in captivitatem russicam abductus, tantummodo anno 1921 in patriam et monasterium revertitur, ut in monasterio Zolocivensi unicus fere omnia officia domestica persolveret. Anno 1922 in

monasterio Hosivensi vixit. Deinde anno 1924 translatus est in domum novitiatu Krechivensem, ut praefectum valetudinis iuvaret et triclinium custodiret, sed iterum per unius solummodo anni spatium. Nam anno proxime sequenti (1925) adiuvat iam silvae custodem in Zavale, de iure adscriptus monasterio Mychajlivcensi. Iterum post annum (1926) transfertur in Krasnopuscam ad officia domestica interna (sacr., cell., cust. vest. et tricl.), quae anno 1927 iam iterum in monasterio Ulaskivcensi exercet usque ad annum 1938. Hoc anno designatus est janitor monasterii Krasnopuscensis. Tempore belli universalis ultimi vitam, certe, non facilem habuit, quando monasteria nostra, in quibus occupatus fuit noster Stanislaus pacifico labore domestico, pace et ordine externo carebant. Ideo vitae huic terrenae miserae valedixit anno 1942, ignoto die, mense et loco, vitae annum 66, monachus vero 43 agens.

Sit ei domus Patris Coelestis merces pro domibus terrestribus nimis.

FR. IVANCIV THADDAEUS MICHAEL (1881-1900-1943).

In pago Tovstobaby, dioecesis Leopolitanae, in familia loci agricolarum natus est frater noster, baptizatus Michael, die 11 octobris anni 1881. Juvenis annorum 19 in tirocinium Dobromylense intraivit die 18 augusti 1900, ubi post novitiatum feliciter peractum (ut socius villici) et votis temporalibus emissis, in monasterium Bukovense ad idem servitium exercendum mittitur (1903). Inde in Ulaskivci translatus, villicus in praedio principalis designatur (1904), ubi votis perpetuis emissis die 19 junii 1904, iterum in Bukovam revertitur (1905-6). Postea eum in monasterio Krechivensi vidimus (1908), ubi die 1 martii 1908 professus est solemniter monachatum. Iam tertia vice Bukovam venit anno 1913, ubi etiam tempore belli remansit, et annos multos adhuc, postquam pax universalis restituta fuit. In Bukova rem oeconomicam curabat, specialiter vero piscina curae ei erat (ab anno 1928) usque ad annum 1934. Ab anno 1934 in Ulaskivci silvam custodivit usque ad annum 1938, unde Bukovam reversus est (1938) ad suam dilectam piscinam, usque ad eiusdem piscinae « nationalisationem » eam fideliter custodiendo. Deinde belli anno quarto in monasterio Bucacensi die 19 januarii 1943 mundo valedicebat, vitam suam 62 annorum bene administrando, si eiusdem vitae annos 43 Deo plene consecravit.

FR. NAVROCKYJ BENIAMINUS BASILIUS (1878-1902-1942).

Natus est die 20 aprilis 1878 in regione Tarnopolitana, ex parentibus agricolis. Anno vero 1902, die 29 martii, adscribitur statui perfectionis, in vita practica lignorum faber. Novitiatu expleto, et votis emissis, die 3 decembris 1903, remansit in monasterio Krechivensi usque ad annum 1911, ubi et professus est publice, die 4 aprilis 1909. Anno 1912 Lavroviae officinam lignorum fabris di-

rigit, sed post annum iterum in Krechiv revertitur. Tempore belli in Pohonia artem sua exercet usque ad annum 1920. Anno 1921 in monasterio Dobromylensi renovato « factotum » constituitur, cum principali officio lignorum fabris. Sed iam post annum unum locum suum fr. Ilcatyn cessit, ut in Zovkva se arti suae omnino dedicaret. Reversus tamen anno 1923 iterum Dobromylim, re oeconomica et silvarum custodia occupatur, domi vero sacristanum agit. Post duos annos in monasterium Bucacense designatur et ibi usque ad annum 1933 remansit. Anno 1933-34 deget in Provincia S. Nicolai, in monasterio Uzhorodensi, usque ad annum 1936. Deinde ad annum 1939, novum nempe bellum universale, servitia sua monasterio Mukacivensi praestat. E Mukacevo iterum in Galiciam revertitur, tempore tamen pro vita monastica difficillimo. Tandem post varias horum ultimorum annorum vicissitudines, in Domino requiem aeternam nactus est, circumstantiis bellicis e claustris Basilianis pulsus. Mortuus est die 8 martii 1942 in civitate Kobieszyn (prope Krakow) in Polonia, annum 64 vitae agens, monachus vero quadragessimus.

FR. VOJTOVYC PROCOPIUS PAULUS (1873-1902-1943).

Natus est die 23 januarii 1873 in districtu Sokal. Juvenis iam maturus ingreditur in tirocinium Basilianum Krechivense post eius e Dobromyl translationem primus, die nempe 24.VII.1902. Finito novitiatu sub directione P. D. Tkacuk et votis simplicibus anno 1904, die 23 aprilis, emissis, per tempus aliquod manet in monasterio Krechivensi, hortum monasterii curando. Anno 1907 pro hortulano et sacristano monasterii Zovkvensis designatur donec anno 1912 rebus oeconomicis monasterii Zovkvensis occupari coepit. Primis annis belli in captivitate russica una cum aliis fratribus monasterii Zovkvensis detinetur, sed anno 1920 eum iterum in rebus oeconomicis dicti monasterii videmus. Non longum tamen post tempus (1922) monasterio Zovkvensi valedixit, ut in monasterio Dobromylensi, ad novam vitam resuscitato, cum novo fervore laboraret. Retento suo servitio priori, ut fundamentali, aliud exercere coepit, silvam nempe custodire. Tamen iterum in Zovkvam reversus, (1927) ibi usque ad annum 1933 remansit, quo anno monasterio Bucacensi adscriptus fuit, administrando praedium in Zelena, et silvam in Zvenyhorod custodiendo. Ab anno 1937 hortulanus in Zavale designatur. Ibi etiam usque ad suam mortem remansit, non obstantibus mutationibus, quae eius occupationem pristinam quidem impossibilem fecerunt (oeconomia), sed laborem in horto permiserunt. Annum vitae 70 agens, in monasterio vero 41, mortuus est in Zavale die 15 novembris, anni 1943.

FR. TURCYN ANASTASIUS ANDREAS (1878-1902-1942).

Natus est die 6 aprilis 1878 in Zibolky, ex familia agricolarum districtus Zovkva. Admissus est in novitiatum Krechivensem, 24.XI.

1902, tunc temporis sub directione P. D. Tkacuk. Primum eius in monasterio servitium fuit, ut sartorem adiuvaret. Votis tandem simplicibus emissis die 7 iulii 1904, designatus fuit ad monasterium Krystynopolitanum, ut januam, vestiarium et triclinium custodiret, occupatus etiam principaliter sua arte sartoria. Eadem negotia in monasterio Leopolitano exercebat per annum 1908, de tota domo curando, sed anno sequenti iterum Krystynopolim revertitur. Monasterium hoc anno 1912 relinquit in favorem monasterii Krasnopuscensis, ubi anno 1914 etiam silvam custodire coepit. Sed adveniente bello, militari servitio adscriptus fuit. Bello finito sanus domum revertitur, et monasterium Krasnopuscense eum denuo recipit ad silvam praedii Krasnopuscensis custodiendam (1920), aliaque officia domestica interna persolvenda (sacristanus, sartor), quod anno 1922 in Bukova facere continuavit, usque ad annum 1926. Anno 1926 Leopoli, a janua incipiendo, totam domum curabat. Anno 1928 Lavroviam translatus, unicus fere dominus silvarum per decennium remansit. Anno 1938 iterum ad monasterium Bukovense designatur, ut idem faceret, sed post annum ad suam silvam Lavrivensem revertitur. Adveniente demum secundo bello universali et silvarum a communistis occupatione seu «nationalisatione», fr. Anastasius non jam longe sine sua silva vivere potuit, et proinde anno 1942, qua die, mense et loco adhuc nescitur, animam suam Deo reddidit, 64 annorum cursu completo, monachalis vero vitae anno quadragesimo absoluto.

Sit ei terra, quam custodivit tam longe, levis!

FR. VOLOSYN ARCADIUS ADAMUS (1878-1923-1943).

Natus est vir ille anno 1878, die 4 decembris, sed in Ordinem Basilianum ingressus est annum vitae 45 agens, et quidem per exceptionem in novitiatum Mundarensem, in Canada, admissus est die 2 aprilis 1923, ut rudimenta vitae perfectioris addisceret. Novitiatu absoluto et votis simplicibus emissis (die 26 apr. 1925) in eodem monasterio Mundarensi permansit, agens in praedio Mundarensi oeconomum, vel rebus domesticis occupatus. Servitium tale usque ad annum 1931 praestabat. Hoc anno, aliis occupationibus aliis confratribus remissis, ipse artem sutoriam exercere coepit. Sed senectute approximante iam anno 1935 valetudinem curare debuit et pro Ordine orare in monasterii Mundarensis domo novitiatus. In eodem monasterio etiam Deo animam reddidit anno 1943, die 19 decembris, expletis vitae suae annis 65, monasticae vero vitae votorum simplicium annis viginti.

Etiamsi tarde vocatus fuit, a Domino tamen iusto remuneratore et liberali, mercedem operariorum plenam accepturum esse eum speramus. Nam non opera nostra, sed voluntatem vult habere Deus.

FR. VLADYCKA PARTHENIUS PETRUS (1906-1925-1940).

Anno 1906, die februarii prima in Bojanec, districtus Zovkva, ex familia loci agricolae natus est filius, Petrus baptizatus, qui post 19 annos, die martii sexta 1925 portam novitiatus Krechiven-sis ingressus est, exceptus a P. N. Lysko, tunc temporis magistro; vitae spiritualis principia addiscendo, artem sartoriam colebat. Post vota simplicia temporalia anni 1926, decembris diei 22, statim in monasterio Zovkvensi sartorem, janitorem, et vestiarii tricliniique custodem agit usque ad annum 1931. Ibidem etiam vota simplicia perpetua die 1 maji 1927 emisit. Anno 1931 in monasterio Mychajlivcensi ad domum designatus, jam anno proximo in Krasnopusca iterum rem sartoriam exercet. Ab anno vero 1934 in Drohobyc eadem officia habet, sed iam post annum valetudinem in Krasnopusca curare debet, ubi anno 1935, die 12 maji, solemniter vota sua Deo professus est. Eiusdem valetudinis curandae causa, anno 1936 in monasterium Krechivense translatus est. Post tres tandem annos designatus est in monasterium Pidhircense, ut suae valetudini debilitatae consuleret.

Tandem morbo diuturno consumptus, iuvenis 34 adhuc annorum, et monachus annorum 15 in Domino quievit in monasterio Pidhircensi, die 10 septembris anni 1940. Requiescat in pace!

FR. TARBALY NICEPHORUS N. (1901-1929-1942).

Natus est die 15 decembris, anno 1901, in regionibus Transcarpaticis. Aetate matura annorum 28 nomen suum in librum alumnorum tirocinii Mukacivensis inscribere petiit. Expleto anno novitiatus praescripto et arte culinaria edocta, post vota simplicia, die 23 maji anno 1931, emissa, cibum pro communitate monasterii Maloberezne parabat usque ad annum 1933. Translatus deinde in monasterium Mariapocsense culinam monasterii dirigebat. Translatus tandem anno 1942 in monasterium Haidudorogense pro eodem servitio, morte praevenitur die 2 junii 1942, in quadragesimo primo anno vitae et decimo tertio monachatus.

C. KOROLEVSKYJ.

**CATALOGUS ARCHIVI PROCURATORIS GENERALIS
ECCLESIAE RUTHENAE IN URBE**

Volumen XI.

(Cont. 5)

Titulus, manu Patris Wolodzko: «Codex scripturarum quae factae sunt in materia erectionis Congregationis ex duabus Nationibus Lithuana et Polona, cura R. P. Ignatii Wolodzko Procuratoris Generalis Ordinis, acquisitus et Archivio applicatus anno 1767».

Fol. 1. — Secretarius S. C. de Propaganda Cardinali Albani 24 aprilis 1742. Transmittit subsequentem Restrictum.

Foll. 3-12. — Idem ac in Codice V, foll. 1-9; cfr. «Analecta OSBM». III, 145.

Foll. 13-18. — Animadversiones Secretarii S. C. circa materias in praelaudato Restrictu expositas. Incipit: «Su questo importante affare Monsignor Segretario ha creduto di prendere extragiudiziali informazioni dall'Abbate Caraman». Est ergo Restrictus Informationis Matthaei Caraman, quae invenitur per extensum in Codice V, foll. 186-223; cfr. «Analecta OSBM». III, 148.

Foll. 20-25. — Minutae et animadversiones variae, ab officialibus S. C. conscriptae, quae videntur parvi momenti.

Fol. 26. — Prosecretarius S. C. ad Cardinalem Albani, 16 martii 1744. Transmittit subsequentem Restrictum.

Foll. 28-35. — «Ordinis S. Basilii Ruthenorum. Confirmationis Capituli. — Essendosi nell'anno 1720 tenuto nella città di Zamoscia il Sinodo dei Ruteni, in esso, sotto il titolo II De Monasteriis, et statu Monachorum, si stabilì, che i monasteri esistenti nelle diocesi di Premisla...».

Foll. 36-57. — «Ristretto del Nesso. Il Nesso, ossia Concordato fatto nel principio della Sessione XI del 'Capitolo tra il Metropolitan della Russia et il Protoarchimandrita...» Sequitur accurata discussio variorum articulorum Nexus.

Foll. 58-79. — «Ristretto delle Risoluzioni. — Nelle risoluzioni contenute nella Sessione II del Capitolo, si devono considerare li quattro punti, che sono stati rimessi alla suprema decisione della S. Sede...».

Foll. 80-85vo. — «Ristretto delle Costituzioni. — Le costituzioni, che sono state fatte nella sessione XIII, contengono 21 articoli, due dei quali...».

Foll. 86-97vo. — «Sacra Congregatione de Propaganda Fide. E.mo, et R.mo D. Cardinali Carafa, Ponente. Leopoliem. Iurisdic-

tionis. Pro Ill.mo D. Promotore Fiscali Curiae Archiepiscopali Kiovien. totiusque Russiae. Restrictus memorialis facti, et iuris, cum Summario ». Oratio manuscripta Advocatorum Nicolai Cucovilli et Caroli Evangelisti. Incipit: « Postquam in Capitulo Generali Ruthenorum celebrato Dubnae anno proxime elapso de mandato SS.mi D.ni Nostri gloriose regnantis, et huius Sacrae Congregationis, ea omnia constabilita extiterunt... ». Sequitur Summarium, *fol. 98-107*, ubi notanda sunt sequentia documenta: No. 2. *fol. 99vo-100*, Protoarchimandrita Polycarpus Michniewicz ad Metropolitam, 15 iulii 1743. Initium: « Pervenerunt ad me benignae litterae Ill.mae, Excell.mae et R.mae Dominationis Vestrae sub die 2 iulii, Uniovia expeditae... ». No. 4, *fol. 101-101vo*: Metropolita Athanasius Szeptycki ad S. C., Leopoli, 12 novembris 1738, cuius initium: « Quam primum gratiosas EE. VV. litteras cum adiunctis Reverendi Precowicz recipi precibus... ». No. 7, *fol. 102*: Felicianus Philippus Wolodkowicz, Episcopus Chelmensis, testatur Abbatiam Mielecensem existere in Eparchia Vladimiriensi, ac R.mo Metropolitano tum Monasterium Mielecense, qua omnia existentia in Lithuania et Russia quoad personas Archimandritarum fuisse semper immediate subiecta, Dermaniae, 6 iulii 1739. No. 9, *fol. 103-104vo*: Commissiones Athanasii Szeptycki Patri Basilio Polatylo Protoarchimandritae datae, diebus 6 septembris 1739 et 13 maii 1741, ut visitaret nomine sui varios Archimandritas. No. 12, *fol. 105vo-106*: Diploma principis Alexandri Dominici Lubomirski, datum Varsaviae, die 30 ... 1740, quo pro Archimandria Mielecensi praesentatur post obitum Gedeonis Woyna Oranski ultimi eius Archimandritae et Episcopi Chelmensis, Georgius Winnicki, Episcopus Premisliensis.

Foll. 108-127. — Oratio Advocati Iosephi Andreae Scaramutii, in eadem causa. Initium: « In sequelam Decretorum S. C. quae Sanctitate Sua Domino Nostro auctorizante et approbante emanarunt sub die primi maii superioris anni 1742... ». Sequitur, *fol. 127vo-129vo*: « Informatio a R.mo Patre Generali Congregationis SS.mae Trinitatis Unitorum Ordinis S. Basilii Magni eiusque Venerabilis Consultorii R.mo Patri Cassiano Stebnowski Ordinis eiusdem Procuratori Generali ad promovenda Ordinis negotia data post Capitularem consultationem, anno 1743, die 14 iunii. — 1o. Omnibus mediis modisque curabit R.mus Procurator, ut antiquam iuribus, Constitutionibus et continua consuetudine firmatam... ».

Il Papa non è solamente sovrano spirituale di oltre trecento milioni di uomini, ma anche il fondamento e centro dell'unità come ha detto il Sommo Pontefice felicemente regnante nella sua allocuzione del 18 settembre 1947: « *At unitatis quasi centrum et praesidium erat Apostolica Sedes, quippe cum Romanus Pontifex Principis Apostolorum successor et Ecclesiae caput, toti Christianorum latissimae familiae Pater censetur praepositus* ». ²⁰

Certo i nostri alunni conoscono e apprezzano questi doni di Dio e premurosamente cercano di corrispondervi. E perciò finisco colle parole del S. Padre Pio XI di s. m. rivolti ai nostri alunni nella memorabile udienza del 13 Novembre 1932:

« *Ed è per questo che quei cari giovani devono approfittare della grande ventura che la Provvidenza ad essi concede, di quella possibilità che non è comune, la possibilità, dicevo, di poter perfezionare i propri studi nel centro stesso dell'unità, tanto vicini al cuore della madre di tutte le Chiese, la Santa Chiesa Romana e in tanta prossimità del Padre comune, il Vicario di Gesù Cristo, in un ambiente unico di memorie storiche e soprattutto di memorie religiose. A tale possibilità essi devono rispondere sempre più profondamente, e così corrisponderanno ai desideri del cuore di Gesù, ai desideri del cuore della grande Madre, la Chiesa, ai desideri del cuore del Padre, il Vicario di Gesù Cristo. Alunni così fortunati devono dunque sentire tutta la forza di siffatti desideri e venire crescendo secondo essi e secondo lo zelo della scienza sacra, nell'acquisto della santità sacerdotale, nell'esercizio della perfezione della purezza sacerdotale, anzi a meglio dire, nel profumo dei vergini* ». ²¹

¹⁹ GIOV. PAPINI, *La scala di Giacobbe*, pp. 222-224.

²⁰ L'OSSERVATORE ROMANO, a. 1947, N. 217.

²¹ *Ench. Cler.*, N. 1483.

D. TANCZUK, Sac., (+ 1944).

QUAESTIO PATRIARCHATUS KIOVIENSIS TEMPORE CONAMINUM UNIONIS RUTHENORUM (1582-1632).

Articulus infra publicatus provenit ex libro-manuscripto: « Conamina unionistica in Ecclesia Ruthena in primo dimidio saec. XVII. (Dissert.), Romae 1939 ». Opus, constans 143 paginis, nondum publicatum fuit, auctore-iuvene defuncto.

Natus die 31.X.1911, parentibus Hilario et Maria Lechusz, in districtu Drohobycensi (Jakubora Vola) et absoluta schola (Drohobycz-Lviv), admissus est anno 1932 in Seminar. Dioec. Peremyssliense; ibique absolutis studii philosophico-theologici annis quattuor et sacerdos ordinatus (27.IX.1937), Romam ad studia perficienda mittitur (13.X.1936). Romae in scientia eminebat et lauream in theologia (1939) et jure canonico (1941) consecutus est magna cum laude. Impeditus bello quominus in patriam reverteretur, studiis profundioribus occupatur donec, gravi morbo affectus, vita functus est die 10.V.1944, Romae, annum vitae 33 agens.

Fuit juvenis optimaе notae multaque sperare faciebat.

Mors immatura ei in historia ecclesiastica profundius laborare non sinuit.

Primo lustro ab eius morte labente, juvenem doctum commemorare amicis eius, verba eius legentibus, gratum omnino erit.

(A. W.).

1. *Quaestio Unionis Ruthenorum atque eius promotor.*

Jam ante renovationem hierarchiae orthodoxae anno 1620 factam, Metropolita unitus Josephus Velamin-Rutskyj (1613-1637) intentione conciliationis ductus alta voce eius necessitatem praedicare coepit. Ipse propagabat, ut « nonnullae praestantiores personae, cupidae concordiae inter nos in graeca religione scissos convenirent in unum locum et deliberarent de reciproca conciliatione ».¹ Huic sententiae adhaerebat Meletius Smotryckyj, tunc temporis monachus S. Basilii Magni, adhuc in schismate manens.² Talis congressus pro utraque parte propositus est anno 1617, Vilnae, ubi praelectionem de primatu et unitate Leo Kreusa, archimandrita Vilnensis, postea archiep. Smolenscensis, habuit, ar-

¹ ISCAK DR. A.: *De Zacharia Kopystenskyj eiusque « Palinodia » opere polemico contra primatum R. Pontificis et Unionem confecto*, « Bohoslovija », fasc. 3-4, 1930, p. 179 sq.

² OSINSKIJ, *Meletij Smotryckyj, Archiep. Polockyj*, (in « Trudy Kievskoj Duch. Akademiji », vol. 2, (1911), p. 462.

gumenta pandens ex ipsis libris liturgicis slaviciis. Jam destinatus erat « dies certus, locus et tempus, ad quod invitavimus homines venerabiles Vilnae, tunc temporis versantes aequae ex nostra ac e contraria parte ».³ Sed illa contraria pars non apparuit.⁴

Non multo post renovationem hierarchiae orthodoxae Metropolita Iosephus denuo coepit praedicare necessitatem conciliationis in suo opere « *Reprotestacja* », ⁵ edito die 8 iulii 1621; eo vel magis quod Ecclesia unita videbatur vix ne summum obire diem. In Curia Romana agitabatur quaestio « an expediret Ruthenos paulatim ad romanum ritum deducere, an vero conservare unionem Ruthenorum factam a Clemente VIII, ut videlicet in ritu graeco permaneant ».⁶ Sed repentina mutatio facta est. Gregorius XV mortuus est 8 iulii 1623 et novus Papa Urbanus VIII ex domo Barberini indefessus promotor operis Clementis VIII in conservatione rituum orientalium, Unionem quam maxime promovere coepit.

Difficile adeo solvere quaestionem, quisnam primum impulsus ad conciliationem dedit; Curia Romana? Revera S. Congregatio de Prop. Fide sessiones de negotio Unionis die 5 novembris et 6 decembris 1622 habuit; attamen ex ulteriore progressu huius negotii hoc negandum esse videtur. Proinde auctorem eius debemus in Regno Poloniae quaerere. Sed quis nam? Rex, senatores, de quibus mentio in documentis?⁷ Ex scripto: « *summaria relatio eorum quae tractata sunt anno praesenti 1624* », a Metropolita Rutskyj Romam misso, apparet quod non; nam dicitur: « idque factum est instinctui quorundam senatorum, annuente Serenissimo Rege »; quia ergo neque is, qui instinctu in aliquod fertur, neque qui annuit auctor in sensu stricto appellari videtur, restat, ut solummodo Metropolitam Rutskyj auctorem huius negotii nominamus, nam in supra laudato scripto ipsius « *Reprotestacja* » et in scriptis aliorum unitorum intuitu Metropolitae factis hoc procul dubio apparet.⁸

³ ISCAK, *op. cit.*, p. 180.

⁴ ISCAK, *op. cit.*, ib.

⁵ CHODYNICKI K., *Kościół prawosławny a Rzeczpospolita Polska 1370-1632*, Warszawa 1934, p. 453.

⁶ « Card. Bandinus retulit negotium unionis Ruthenorum et fuit discussa illa quaestio an expediret Ruthenos paulatim ad romanum ritum deducere, an vero conservare unionem Ruthenorum factam a Clemente VIII, ut videlicet in ritu graeco permaneant. Et cum Cardinales Bandinus et Barberinus, et ipsemet Sanctissimus inclinarent in hanc secundam sententiam, et Rev. mus Agucchius, et ergo dixissimus archiepiscopus Leopoliensem contrariam sententiam tueri rationibus, et experimentis, idemque nonnullos alios episcopos Polonos asserere, negotium fuit remissum ad aliam congregationem. die 6 decembris 1622 » *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 3, fol. 22, Nr. 3; cfr. ed. in E. SMURLO, *Le Saint-Siège et L'orient orthodoxe Russe 1609-1654*, Prague 1928, II, 33.

⁷ « *Summaria relatio eorum quae tractata sunt anno praesenti 1624* », cfr. ed. in: SMURLO, *Le Saint-Siège...*, II, p. 35.

⁸ CHODYNICKI K., *op. cit.*, p. 453 sq.

Haec idea reconciliationis inter utramque partem h. e. inter unitos et orthodoxos nacta est sibi protectores, praesertim regem et aliquos senatores, inter quos sine dubio erat Adamus Kysil. Deinde inceptis pertractationibus hac in re Curia Romana hanc ideam suam fecit et secundum principia Ecclesiae catholicae continuare studuit.

Prima vice propositum conciliationis inter unitos et orthodoxos invenimus in comitiis regni Poloniae mense Januario 1623 anni convocatis.⁹ Ad praedicta comitia ex parte hierarchiae orthodoxae venerunt Job Boreckij et Meletius Smotryckij protecti a Rege littera salva conductus,¹⁰ ex parte vero unitorum adfuit Metropolita Josephus Rutskyj. Ad litem componendam creata fuit specialis commissio ex 5 senatoribus et 9 deputatis coalescens. Ad concordiam obtinendam varii modi, satis vagi,¹¹ proponebantur, qui tamquam basis conciliationis servire debebant. Inter alia proponebatur convocatio synodi communis in qua eligendus erat patriarcha. Orthodoxi autem « superbe » et « contumaciter » reiecerunt omnem mentem conciliationis.¹²

Ex supra dictis novimus promotorem conciliationis inter unitos et orthodoxos esse Metropolitam Josephum Rutskyj. Quisnam autem insinuavit ipsum propositum, Ecclesiae Ruthenae iam antea notum, creandi nempe in ea Patriarchatum, certam responsionem non habemus; hoc solum novimus quod provenit a « quibusdam senatoribus ». Finis huius propositi erat sedatio tempestatis religiosae in Ecclesia Ruthena. Proinde a limite reicimus opinionem historicorum Russicorum et aliquorum Ucrainorum, praesertim orthodoxorum, asserentem Patriarchatum excogitatum esse a rege Poloniae eiusque ministris eo potissimum fine, ut consolidaretur república Polona et exterminaretur influxus externus sive Moscoviae, sive Patriarchatus Constantinopolitani tamquam subditi Turcarum.

Unio orthodoxorum Ruthenorum mediante Patriarchatu creando satis idonea erat ad evadendam religiosam pugnam, habito respectu devotionis eorum erga Patriarcham. Hoc modo unice possibile erat sternere viam obedientiae Summo Pontifici Romano, cuius primatum orthodoxi omnino reiciebant, sicut ex contem-

⁹ *Ibid.*

¹⁰ Rudovyc Joannes P., *De Synodo Kobrynsensi a. 1626 habita*, (in « *Boslovija* » (1924, I, p. 12).

¹¹ GUÉPIN Alphonse Dom, *Saint Josaphat et L'Eglise Grecque unie en Pologne*, Paris 1874, vol. II, p. 183: On se rappelle qu'il en était déjà question à la Diète de 1623 et que les commissaires pour les affaires ruthènes conseillaient une assemblée mixte des deux partis et mettaient en ayant divers projets, trop vagues pour servir de base à des négociations sérieuses. Tantôt ils disaient aux Uniates de s'accorder avec le patriarche de Constantinople; tantôt ils parlaient de créer en Ruthénie un patriarcat indépendant, auquel les Uniates et les schismatiques eussent été également soumis ».

¹² CHODYNICKI K., *op. cit.*, p. 452.

poraneo opere Kioviensis auctoris, Zachariae Kopystenskyj, «Palinodia»¹³ elucet et ex colloquio orthodoxorum episcoporum cum legato Metropolitae Rutskyj Kioviae anno 1623 habito apparet.¹⁴

At cum propositum Patriarchatus in Ecclesia Ruthena creandi haberet suas radices iam ante unionem Berestensem, breviter eum exponere debemus.

2. *Patriarchatus in Ecclesia Ruthena ante Unionem Berestensem.*

Prima tentamina creationis Patriarchatus in Ecclesia Ruthena coincidunt cum primis conaminibus unionis eiusdem Ecclesiae cum Romana, vel potius cum activitate Antonii Possevino in Polonia.

Quando Stephanus Bathory, olim Transylvaniae princeps, rex Polonorum electus est, non tantum Poloniam consolidare, sed et inimicos eius prosternere voluit. Pluries bellum in Moscoviam, post tot devastationes a suo principe Joanne IV perpetratas debilem factam, moverat. Anno 1579 Bathory civitatem Polock debellavit et tota Moscovia in gravissimum periculum devenit.

Mense igitur septembri 1580 Joannes IV undequaque pressus mediationem S. Sedis implorare decrevit. Cursor quidam Thomas Sevregin, qui bellum magnum contra Turcas proponeret, Romam missus est. Huius vero belli conditio primaria cessatio belli Polonici fuit. Missus est igitur in Moscoviam P. Antonius Possevino S. J., qui ob missiones diplomaticas tam in Gallia quam in Suetia adimpletas bene notus erat. Et quidem pax mediante Possevino inter Poloniam et Moscoviam 15 januarii 1582 inita est.

His omnibus peractis, Possevino plures adhuc annos in Polonia remansit, tractando cum principe Constantino Ostrohskyj de unione Ruthenorum, ita ut praepararet viam ad unionem Berestensem.¹⁵ Legatus Apostolicus in Moscoviam a. 1582 movit omnem lapidem, ut perduceret duas potentissimas familias nobiles, scil. duces de Sluck et de Ostrog ad catholicismum. Primus eorum, dux de Sluck schisma revera derelinquerit, immo petiit Romanum Pontificem Gregorium XIII (1572-1585), ut sibi mitterentur sacerdotes graeci catholici, ut eorum ope reduceret suos subditos ad catholicismum.¹⁶ Ducem autem Constantinum de Ostrog trahere ad Ecclesiam catholicam conabatur hac praecise de causa, quod unionem «totius Russiae inferioris» inde sibi pollicebatur. Revera dux de Ostrog omnino dispositus fuit ad concordiam

¹³ «Palinodia», gr. «Παλινωδία» Retractatio; Liber Polemicus principalis, scriptus annis 1621-22, ubi specialiter primatum Romani Pontificis auctor oppugnat. Cfr. Dr. A. ISČAK, *De Zacharia Kopystenskyj...*, (in «Bohoslovija», 1930, fasc. 3-4, p. 178 sq.).

¹⁴ Cfr. «Summaria relatio...», in: SMURLO, *Saint-Siège...*, II, p. 35.

¹⁵ Cfr. KRYPJAKEVYC IV., *De Possevini A. in favorem Unionis publicationibus Ruthenicis a. circiter 1580*, (in «Analecta OSBM», vol. III, 3-4, 537 sq.).

¹⁶ SMURLO E., *Rossija i Italia*, t. II, fasc. 1, Petropoli 1908, p. 339-340:

Ruthenorum cum Apostolica Sede ineundam.¹⁷ Petractationes de unione habebantur Cracoviae anno 1583, quorum obiectum principale fuit novum Calendarium et negotium Patriarchatus cum Ecclesia catholica uniti, ritus graeci, creandi.¹⁸ Patriarchatus creandus debuit esse medium-basis unionis. Creato Patriarchatu possibile foret exterminare influxus Patriarchae Constantinopolitani, cuius auctoritatem orthodoxi adhuc magni aestimabant, et faciliorem unionem Ecclesiae Ruthenae cum Romana reddere, quia ipsi in Patriarcha videbant argumentum conservationis ritus orientalis.

Hoc negotium patriarchatus magni aestimabant ex una parte Nuntius S. Sedis in Polonia, Albertus Bolognetti, episcopus Mas-sae, et Card. de Como, Ptolomeus Galli,¹⁹ Secretarius Status Gregorii XIII (ea ratione, quod Patriarchatus Ruthenus fuisset mediator inter Ecclesiam Romanam et Byzantinam orthodoxam); parte ex altera huic negotio valde addictus erat Dionysius Paleologus, Archiepiscopus Qisicensis, missus probabiliter Roma, tamquam magister scholae theologicae, quam erigere voluit ipse Constantinus Ostrohsykyj in Ostrog.²⁰ In casu pro creatione Patriar-

« Per ridurre i suoi popoli dallo scisma al vero culto greco, secondo la pura e cattolica dottrina dei padri antichi ».

¹⁷ Ibid., fasc. 2, p. 182: « Cum enim Ostroviae dux illustrissimus animo feratur ad concordiam Ruthenorum ineundam dudum me cum suis expectavit. Eius duo filii duces Janusius et Constantinus ad catholicam religionem e rutheno schismate se adiunxerunt ».

¹⁸ THEINER A., *Annales Ecclesiastici*, vol. III, Romae 1856, p. 735: « ... non debbo tacere a Vostra Signoria Illustrissima alcune cose, che mi vengono suggerite da questi ministri dei Duchi di Ostrow, riservando à Nostro Signore il giudicio, se siano tali, che se ne possa aspettar frutto alcuno a gloria di Dio e à riduzione di quei paesi scismatici. Il Paleologo così destramente per mezzo di un mio familiare, oltre quello che esso me ne disse in voce, mi mette in consideratione, che la vera et più breve strada di levar lo scisma da tutte le terre di questi signori, sarebbe che Nostro Signore togliesse l'occasione à gli Vladici et altri sacerdoti greci, che sono in quelle parti di ricorrere al Patriarca di Constantinopoli, come fanno per non haver altro capo di questo rito, ch'insieme si levarebbe la dipendenza. Et questo dice che potrebbe fare Sua Santità con erigere la Chiesa d'Ostrow in Patriarcato et sottoporgli il vescovo di Slucko et gl'altri, talche si venisse à divertir il commercio dalla Grecia et dal Patriarca scismatico a quest'altro Patriarca ben nel rito greco, ma cattolico. Può ben essere che Paleologo in quest abbia anco qualche fine particolare, sperando egli forse, che in tal caso il Duca fosse per supplicare à N. Signore per la promotion sua à questa dignità. Tuttavia la provvidenza di Dio, i cui giudicii sono profondissimi, anco dall'azioni degli huomini indirizzate ad altro fine può cavare effetti importantissimi a gloria sua... ».

¹⁹ КРЪПЪКЕВЪЦЪ ІV., *Z dijalnosti Possevina* (De opere Possevini) (in « Zapysky Nauk. Tov. Sevčenka, Leopoli 1912, fasc. 112, p. 12).

²⁰ SMURLO, *op. cit.*, fasc. II, p. 145: « Dionisio Palialogo Arciv. di Cisico et Abbate de S.ta Maria di Dorohobuz in Volinia », ita subscribebatur Dionysius Paleologus.

chatus favente probabiliter ipse Dionysius Paleologus hanc dignitatem obtinere sperabat.

Altera quaestio tunc valde agitata erat novum Calendarium. Acceptatio eius per Ecclesiam Orientalem orthodoxam fuisset primus passus ad conciliationem inter utramque Ecclesiam. Propterea Romanus Pontifex Gregorius XIII omni cum conatu obtinere consensum Patriarchae Constantinopolitani et aliorum in re calendaria satagebat. Opus mediatoris in re calendaria inter Pontificem Romanum et Patriarcham Constantinopolitanum sumpsit Constantinus de Oŝrog. Patriarcha Jeremias II, initio fuit fautor novi calendarii, sed deinceps tamen ob persuasionem inimicorum unionis ecclesiasticae illud reiecit.²¹ Jamvero conditio Patriarchatus Constantinopolitani fuit difficilis. Jeremias II anno 1584 iam secunda vice sedem Patriarchalem derelinquere coactus est,²² quae facta erat ludibrium infidelium.

Curia Romana conata est liberare Jeremiam II ex servitute Turcarum. In litteris de data 27 septembris 1584 Card. de Como hunc modum procedendi Possevino imposuit: Patriarcham Jeremiam statim liberandum esse ex manibus Turcarum ipsamque Sedem Patriarchalem in terras Slavorum, Kioviam, Vilnam, Leopolum, aut secundum alios etiam Romam transferendam esse. Hoc modo crearetur spes unionis totius Patriarchatus et cum eo etiam Ecclesiae Ruthenae cum Romana.²³ Ipse Patriarcha Jeremias, quando iam tertia vice Sedem Patriarchalem recuperavit, ab hoc negotio translationis suae sedis non alienus visus est. Anno 1588 profectus est Moscoviam eleemosynae colligendae gratia. In itinere deversus est ad Cancellarium Poloniae, Joannem Zamoyski,²⁴ qui ei (Patriarchae) revelavit «nonnullas res secretas»,²⁵ prout Cancellarius in litteris ad Card. Aldobrandino die 6 septembris 1588 indicavit. «De Patriarcha Hierosolymitano»,²⁶ scribebat Zamoyski, ita res se habet. Jeremias Patriarcha, qui ob susceptionem consiliorum cum SS.mo D. N. et rege Catholico ab imperatore Turcarum primum diectus, ac Rhodum delegatur, deinde vero Constantinopolim revocatus, sed ita fuerat, ut templum nihilominus ei non restitueretur. Eleemosynae colligendae gratia in Moscoviam proficiscens, Zamoscium ad me deverterat. Cum multa commoda

²¹ HOFMANN, G., *Griechische Patriarchen und Römische Päpste*. (Orient. Christiana, vol. XXV, II, 4: Patriarch Jeremias II, Romae 1932, p. 228-229).

²² Jeremias II, Patriarcha Constant. (1572-1579, finis novembri) Metrophanes III (febr. 1580). - Jeremias II (sec. vice: septemb. 1580-1584, med. martii). - Pachomius II (20 martii 1584-26/27 febr. 1585). - Theoliptus II (27 febr. 1585-1586, depositus). - Jeremias II (tertia vice: 1586-1595).

²³ CHODYNICKI K., *Kościół Prawosławny...*, p. 251.

²⁴ PETRUSEVYC A., *Svodnaja Ital'jko-Russkaja Litopys* (1600-1700) Leopoli 1874, p. 56.

²⁵ MAKARIJ, *Istorija Russkoj Cerkvi*, vol. X, Petropoli 1881, p. 19.

²⁶ Sine dubio debet esse: «Constantinopolitanus».

et regno huic, et Ecclesiae accessura putarem, si sedem suam in hoc potius regnum, ut Kioviā, quae iam olim eius religionis totius Russiae antiquae etiam Moscoviae sedes fuit, transferret, neque desperarem, ut cum homine graecis litteris erudito, progressu temporis de concordia etiam fortasse cum S. Ecclesia Romana agi posset, tentavi, non alienus mihi visus est. De hac igitur re et consilium et iudicium Ill.mae D. V. exquirebam, ut si ipsa quoque rem probaret, ulterius deinde in ea progrederer». ²⁷

Ipse autem Magnus Cancellarius Poloniae, Zamoyski, ex motivis politicis conatus est promovere negotium translationis sedis Patriarchalis Constantinopolitani Kioviā. Bene cognoscebat enim intentiones Moscovitarum, potentissimi praesertim Moscoviae regentis, Borissi Godunov, condendi proprium Patriarchatum Moscoviae. Patriarcha autem Mosquensis extendere conaretur suam iurisdictionem etiam super dioeceses Ruthenas eiusdem religionis, quod esset periculosum pro regno Poloniae. Qua de causa Zamoyski persuadere Patriarchae oportuno esse censebat, ut transferret suam sedem Patriarchalem Kioviae, quae tunc temporis erat sub dominio Poloniae, quo pacto, punctum gravitatis omnium orthodoxorum Ruthenorum esset Polonia, minime Moscovia. Esse autem Jerimiae Patriarcham in Moscovia non fuit datum, sed instituere debebat ibi proprium Patriarchatum anno 1589. Hoc autem consilium transferendi sedem Patriarchalem in terras Ruthenas suum effectum sortitum non est. Videtur causa istius fuisse inter alias etiam dominium latinorum Kioviae, nec non pertinacia Borissi Godunov, potentissimi regentis Moscoviae, in opere Patriarchatus Moscovitici erigendo.

Nihilominus hoc propositum erigendi in Ecclesia Ruthena Patriarchatum nec non translationis Constantinopolitani Patriarchatus in Kioviā suo valore omnino destitutum non est, sicut ex ulteriore nostra expositione patebit.

3. *Quaestio Patriarchatus Kioviensis post Unionem Berestensem.*

Ex supra allatis nobis patebat, quod orthodoxi in comitiis a. 1623 «superbe» et «contumaciter» reiecerunt omnem mentem de conciliatione cum unitis.

Interruptis pertractationibus in comitiis regni Metrop. Rutskyj misit eodem anno privatim Joannem, monachum OSBM, secundum «instinctum quorundam senatorum, annuente serenissimo rege» ad orthodoxos inquirendi gratia de conditionibus unionis futurae apud ipsos. Qui Joannes in colloquio cum Metropolita Boreckyj et Meletio Smotryckyj intellexit, orthodoxos admittere omnia dogmata Ecclesiae catholicae, id est processionem Spiritus Sancti a Patre et a Filio, panem fermentatum et azymum materiam validam sacramenti Eucharistiae, existentiam purgatorii

²⁷ Littera data die V mensis Octobris, Anno Domini MDLXXXVIII: «Copia di una lettera del cancelliere al Card. Legato Aldobrandino», publicata in: SMURLO, *op. cit.*, fasc. II, p. 166-167.

et fruitionem sanctorum; remanebat diiudicanda quaestio solummodo primatus Romani Pontificis. Episcopi orthodoxi concedebant quidem Romano Pontifici primatum honoris affirmando primatum de iure tantum ecclesiastico non divino esse. Sine cooperatione Patriarchae Constantinopolitani, fatebantur, se non posse accedere ad unionem cum Ecclesia Romana.

Intelligebant autem orthodoxi huiusmodi sua responsione totam rem iam in suo principio negative absolutam esse. Proinde sibi acceptum esse propositum aliquorum senatorum confessi sunt, ut scilicet «nominetur hic in regno Poloniae Patriarcha sicut in Moscovia ante annos quadraginta creatus est Patriarcha a Patriarcha Constantinopolitano, cuius agnoscit quidem superioritatem, ille in regimine tamen Ecclesiarum Moscoviticarum est independens ab illo».²⁸

Secundum mentem orthodoxorum futurus Patriarcha Ruthenus debuerit esse in simili conditione ac Mosquensis relate ad Patriarcham Constantinopolitanum. Patriarcha autem Mosquensis agnoscebat quidem superioritatem Constantinopolitani, in reliquis tamen fuit totaliter independens; Ruthenus vero praeter hoc debuit etiam praestare obedientiam Romano Pontifici, quod quidem significabat: conciliare Romam cum Constantinopoli.

Hac propositione orthodoxorum edoctus, Rutskyj anno 1624 die 20 januarii in convocato «ex alia occasione», nempe post nefandam necem S. Josaphat,²⁹ convento episcoporum Novhoroceci de rebus Ecclesiae unitae et cum quinque³⁰ suis episcopis communicavit haec omnia. Ibi diligentissime examinato proposito

²⁸ Missus est a Metropolita monachus quidam notus schismaticis Chioviensibus, exploratum esset ne aliquid boni sperandum ab ipsis, an esset spes unionis, et qui modi ineunte illius. Hic monachus intellexit ex ore duorum antesignanorum penes quos est nunc summa rei, illos omnes articulos fidei acceptare, hoc est credere tam processionem Spiritus Sancti a Patre et a Filio, quam in pane azymo et fermentato confici corpus Christi; eodem modo etiam se credere purgatorium et fruitionem sanctorum, solum ergo remanet punctum difficultatis primatus Papae, non habent enim hoc pro articulo fidei in quo insigniter corrupti sunt per librum Marci Antonij «De Dominis», quos pseudoepiscopus Polocensis assiduo legit et fere memoriter recitat; et quidem iam concedat primatum Summo Pontifici deberi iure ecclesiastico, non tamen iure divino, urgebant ergo si uniti cum sua professione fidei, secundum decretum Concilii Florentini, vellent subesse immediate Patriarchae Constantinopolitano, mediante autem Summo Pontifici prout fuit tempore Concilii Florentini; relectio enim Patriarchae et immediata subiectio Papae non potest ullo modo, ut ipsi referebant, persuaderi sectatoribus ipsorum, et toti communitati schismaticorum»; vide ed. in Smurlo, *Saint Siège*, II, Nr. (20), p. 35.

²⁹ KULCZYŃSKI Ign., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, Parisiis 1859, Appendix, p. 232 sq. Litterae Metrop. Rutskyj ad Card. Octavium Bandinum, Protectorem Russiae; deinde litterae episcoporum Ruthenorum Unitorum, ibid., p. 235.

³⁰ Praesentes erant: Josephus Velamin RUTSKYJ, Joachim MOROCHOVSKYJ (ep. Vladimiriensis et Brestensis), Athanasius PAKOSTA (ep. Chelmen. et Belzen.), Jeremias POZAROVSKYJ (ep. Luceorien. et Ostrogien.), Antonius

orthodoxorum i. e. creatione Patriarchatus in Ecclesia Ruthena tanquam medio Unionis, Rutskyj cum suis episcopis se acceptare hoc propositum declaraverunt, attamen valde modificatum et correctum secundum visionem catholicorum. Ibi etiam elaborati erant duo novi modi Patriarchatus creandi; unus ab alio distinguebatur gradu dependentiae a Romano Pontifice.³¹

Hoc ita in supra laudata «*Summaria relatione*» ad S. C. de Propaganda Fide evolvitur: «... A Metropolita et episcopis deliberatum est, supposito quod serenissimus rex et senatus per tale medium i. e. patriarchatus creationem volunt pacificare Ruthenos unitos cum schismaticis, supposito item quod in provisionem huius Patriarchae cedet beneficium Ruthenum, quod plus habet in redivitibus quam quattuor episcopatus nostri et a schismaticis nunc tenetur archimandria scilicet Peceren. Chiovien., quod illi ipsi dicti schismatici nobis insinuarunt. Suppositis inquam istis taliter acceptamus Patriarcham, si in tota Russia omnes non solum clerici etiam laici petant a Summo Pontifice dari sibi Patriarcham cum quo eidem deferant obedientiam promittentes id ipsum se facturos toties quoties novus nominandus, praesentandus, eligendus ab ipsis, et a Summo Pontifice approbandus esset Patriarcha.

«Quod si hunc modum Patriarchae obtinendi nulla ratione acceptare voluerint schismatici, post longas decertationes proponere ipsis hunc alium modum, ut Patriarcha futurus cum toto clero conscia etiam plebe petat a Summo Pontifice approbationem et institutionem dignitatis patriarchalis, ita quidem ut semel Summus Pontifex concedat licentiam episcopis Ruthenis eligendi et approbandi Patriarcham, neque sit opus cuilibet deinceps successuro petere novam approbationem, nihilominus tamen tenebitur quis deinceps Patriarcha post sui electionem mittere fidei professionem. Hic modus videtur utrique parti favens; Sedi Apostolicae, quia revera petendo a Summo Pontifice approbationem Patriarchae praedicto modo eidem deferetur necessaria et debita obedientia, ipsis etiam Ruthenis favens, quia obtinendo illam concessionem semel pro semper non ita deterrebuntur ab unione cum catholicis, a qua vel maxime eos impediat hactenus relatio dependentiae in omnibus a Sede Apostolica, quemadmodum dependent latini episcopi et primates petendo Roma sacram, palium, et similia toties quoties.

SILAWA (ep. Polocen, Vitebscen, et Mscislavien.), Gregorius MICHAJLOVICZ (ep. Turovien, et Pinscen.), absens fuit Athanasius KRUCZECKYJ (ep. Perymsliensis), Cfr. KULCZYŃSKI Ign., *op. cit.*, Appendix, p. 236.

³¹ Alphonsus GUÉPIN in citato opere «*Saint Josaphat*», p. 183, n. 3, haec habet: «Le résident de l'Empereur et un certain P. Athanase Patellari s'occupaient de ces projets a Constantinople en 1623, «quod valde improbable est propter brevitatem temporis. Athanasius Patellari, de quo mentio, fuit iam Metropolitanus Tessalonicensis ab anno 1620. Cfr. G. HOFMANN, S. J. *Griechische Patriarchen und Römische Päpste*. Patriarch Athanasios Patellaros. (in «Orient. Christiana», vol. XIX, 2, p. 209.

» Si nulla remaneret possibilitas ut etiam hunc secundum modum acceptarent, ultimus modus videtur remanere talis, ut solus futurus Patriarcha, cum Metropolitā, episcopis et paucis e clero primariis scilicet petat dignitatis patriarchalis institutionem a Summo Pontifice eique deferat obedientiam et id ipsum successores suos polliceatur facturos, totum tamen hoc fiat clam reliqua multitudine et communitate cum spe, ut etiam tandem haec inducatur in obedientiam Summo Pontifici praestandam, quod facile fieri posse hoc modo probatur.

» De facto omnes episcopi Rutheni sunt uniti non tantum nomine sed et re, hoc est sunt theologi, qui studuerunt in scholis latinorum vel intime conversati sunt cum latinis, ut nihil de constantia et stabilitate ipsorum, dubitandum sit, uno solo Leopoliensi excepto qui est schismaticus, et excepto episcopatu Smolenscensi, qui nunc vacat, pro quo obtulimus serenissimo regi talem, qui Romae in Collegio Graeco absolvit theologiam. Capita ergo Ecclesiae sunt solida; monasteria omnia erunt in manibus ipsorum, et a monachis omnia bona sicut et mala proveniunt in ritu graeco, in manibus ipsorum erunt seminaria et scholae, quae ad normam ab ipsis praescriptam instituentur in fide, pietate, et litteris et sic videtur nullo negotio omnes in universum ad obedientiam Summi Pontificis brevi adducendos». ³²

In conventu Novhorodensi elaborata fuit instructio ³³ pro legatis Kioviam mittendis ad pertractationes cum orthodoxis in re unionis. Paucis eam exponere liceat:

1. Notificare eis, h. e. orthodoxis, Metropolitam una cum quinque episcopis coadunatis in Novhorodok sincere desiderare cum ipsis vivere in pace, sicuti filii patresque unius nationis Ruthenae, orare Deum ut tandem aliquando desiderata pax adveniat.

2. Rogandi sunt orthodoxi, ut sincero animo, sepositis rebus privatis, desiderarent unionem cum unitis, sicut iam pluries de hoc locuti sunt.

3. In casu autem, si velint pertractare de unione, possint una cum unitis convenire in determinatum locum, parvo tamen numero personarum, ad deliberandum.

4. Admittitur uti forma unionis propositum aliquorum generosorum hominum, ut scilicet creetur Patriarcha in terris nostris sicuti in Moscovia, ut supra bona certa fundetur et benedictionem a nullo petat.

Ex hoc videmus conventum Novhorodensem unitorum accepisse erectionem Patriarchatus in Ecclesia Ruthena tamquam basim unionis. In instructione in hoc conventu elaborata dicitur, ut ille patriarcha benedictionem « a nullo petat ». Quomodo hoc intelligendum est? Proculdubio conventus non excludebat obedi-

³² « *Summaria relatio...* », in editione: SMURLO, *Saint Siège*, II, 36.

³³ Editum in « *Viestnik Zapadnoj Rossiji* », t. III, p. 14-16, Vilnae 1865. *Akty Zapadnoj Rossiji*, t. IV, Petropoli 1851, p. 513, Nr. 224.

tiam debitam Romano Pontifici a novo Patriarcha praestandam, sicuti patet ex authentico commento huius conventus: «*Summaria relatione*». Unitis perspicuum erat, principale punctum controversiae inter catholicos et orthodoxos primatum Romani Pontificis esse, et insuper relationem dependentiae in omnibus a S. Sede avertere illos a Sancta Unione. Sola mentio de Romano Pontifice potuisset pessumdare totum negotium. Ductus sua principali idea lucrandi «istas miseras animas subiectionem Patriarchae affectantes, ut agatur cum ipsis tamquam cum pueris, et ut capiamus illos in hoc pio dolo»; Rutskyj censebat dare orthodoxis aliquam autonomiam, sit venia verbo, ut solummodo adduci possint in sinum Ecclesiae catholicae. Salus animarum suprema lex, pro ea necesse est omnia sacrificare, quae sacrificare possint».³⁴

Revera in unoquoque proposito Metropolitae omnia salvabantur. Electio Patriarchae in Oriente catholico semper fit per episcopos,³⁵ aliquando etiam cum clero,³⁶ eamque subsequitur confirmatio electionis vel postulationis, quae non raro perficitur in forma commissoria per litteras in forma brevis cum facultate etiam subdelegandi. Nonnunquam electus debebat coram delegato Apostolico professionem fidei emitte et servandi ritum iuramentum praestare.³⁷ Cum petitione confirmationis electionis connectebatur petitio pallii, sine quo non licet Patriarchis convocare concilia, ordinare clericos, episcopos consecrare, nisi specialis venia a S. Sede obtenda fuerit.³⁸

Sed quid cum hierarchia orthodoxa a Theophano consecrata post creationem Patriarchatus? Revera haec erat magna difficultas, nam hierarchia orthodoxa nolebat recedere a sedibus episcopalibus pro quibus fuerat consecrata, sed saltem altero episcopali titulo ornandam esse declaravit (unusquisque episcopus unitus possidebat duas dioeceses ad invicem connexas). Metropolitae Rutskyj autem intendebat, ut episcopi orthodoxi tamquam illicite ad sedes iam ab unitis occupatas consecrati, acciperent solummodo titulos «in partibus» et omne opus unionis confidendum

³⁴ S. SOLOVIEV affirmat, quod illud negotium Patriarchatus non obtinuit suum effectum, quia auctores eius non determinaverunt relationem novi Patriarchae ad unionem et ad Papam, Cfr. *Istorijsa Rossiji s drevnejsich vremen*, ed. 2, vol. VI-X, col. 1185; idem etiam affirmat GUÉPIN A., *op. cit.*, p. 183.

³⁵ *Juris Pontificii de Prop. Fide, pars secunda*, Romae 1909, pp. 74, 294, 415, 424, 426-27, 478, 446, 482, 499.

³⁶ *IBID.*, p. 446.

³⁷ *IBID.*, p. 296-7.

³⁸ *IBID.*, p. 499. Jam vero Rutskyj nullam mentionem de pallio facit, nam ipse per totam vitam eo non usus est, forsitan sicut Metrop. Antonius Silava anhelat a petitione dispensatum se existimans, ob bonum unionis, ne scil. offenderet animos orthodoxorum. (Et Silava contemporaneus Rutskyj). «Metropolitae Ruthenorum graeci ritus sereniss. regi Poloniae subiectorum et S. R. E. unitorum exponit, quod, post celebratam sub s. m. Clementis VIII 1585 (sic!) unionem, quattuor Metropolitae sine pallio de corpore B. Petri

esse episcopis unitis. Nihilominus hic modus solvendi quaestionem unionis sic dictae universalis, id est omnium Ruthenorum orthodoxorum et pro ipsis orthodoxis acceptabilis erat, praesertim Meletio Smotrykyj et Job Boreckyj. Sed sicut ex ulteriore expositione videbimus, quod hierarchia orthodoxa saepe saepius non potuit hoc facere quod volebat propter metum praepotentium protectorum Cosacorum et Confraternitatum, attamen nunc manum Unioni admoveere desiderabat. Primus passus ex parte eorum ad conciliationem fuit conatus hierarchiae orthodoxae obtinendi a Constantinopolitano Patriarchatu omnimodam independentiam Ecclesiae Ruthenae orthodoxae in forma exarchatus, ut facilius unio fieri possit hoc modo. Et, ut ex ulteriore expositione videbimus ipsi hunc finem adepti sunt.

Debemus authem bene notare, omnia haec fieri tempore post mortem S. Josaphat. Incertitudo et inquietas regnabat inter orthodoxos, quia rei mortis S. Martyris censebantur, et ideo unusquisque sibi consuiere debebat. Quapropter etiam amplius locus non fuit legati Metrop. Rutskyj tractare cum ipsis de negotio Patriarchatus et unionis, sicuti ex supra dicta «Relatione summaria...» edocemur.

«Postquam ista omnia scripta erant venerunt illi monachi Chioviam a Metropolita antea missi referentes ista, quod magnā sit inter ipsos consternatio et dissensio, aliqui volunt agere nobiscum, alii nolunt, unus ex primariis illis antesignanis, qui tantum erant duo, et quidem primus inter omnes, qui omnium istarumurbationum auctor extitit non expectato responso nostro, quod tam cito venire non poterat, abiit in Graeciam; post occisum enim sanctum Martyrem nostrum ingens trepidatio invasit illos, et alter, pseudometropolita scilicet, iam habet parata navigia ut fugiat in Moscoviam; unde et ille primus putatur non amplius huc rediturus. Unum mihi tantum de ipso spem facit, quod ille eidem monacho nostro notabili satis tempore ante occisionem Sancti martyris nostri retulit se iturum ad omnes quattuor Patriarchas Orientis, ut agat cum illis de modo unionis, si non universali omnium ipsorum saltem particulari nostrae Russiae. Quia tamen non expectavit responsum nostrum suspectus nobis est, quem quia non invenerunt patres nostri, dicti monachi, Chioviam missi, nihil egerunt cum ullo ipsorum, nisi protestati sunt apud non-

sumpto decessere, alio non usi, nisi stola pontificali fraeco ritu, quam homoferon seu periforion appellant, quamque ipsi deinde episcopis sibi subiectis tradere consueverunt, bona fide putantes pallium non esse necessarium, vel a Summo Pontifice secum fuisse dispensatum propter schismaticos, sed forsitan ex hac novitate difficiliore redderentur ad unionem cum Ecclesia Romana suscipiendam; et quod tam praedicti Metropolitae defuncti, quam modernus adhuc vivens, plures consecrationes episcoporum, ordinationes praesbyterorum, et alias manuum impositiones et munia pontificalia gesserunt, de quorum validitate nunc dubitat. Quapropter ipso petente a S. Sede quid sibi agendum sit. Cfr. *Juris Pontificii...*, pars III, p. 90.

nullos ex illis se stetisse praemissis, venisse cum instructione subscripta manibus Metropolitae et quinque episcoporum assignando locum, personas, tempus ad tractandum de mediis unionis ipsorum nobiscum et consequenter cum Sede Apostolica. Et quia iam ipsis imminerebat periculum de quo praemoniti sunt ab archimandrita Chioviensi, discesserunt inde; archimandrita autem, licet schismaticus, suos homines adiunxit illis, qui deducerent eos secure et deduxerunt ad tres leucas ab illa civitate ».³⁹

4. S. Sedes et negotium Patriarchatus Kioviensis ante 1633 an.

Unione facta, Ecclesia Ruthena ab anno 1622 subiecta erat S. Congregationi de Propaganda Fide. Jam a primordiis suae existentiae S. C. de Prop. Fide satagebat unionem quam maxime protegere, quam latissime propagare, omnibusque mediis ac privilegiis ornare. Cum singulari zelo adlaborabat Secretarius S. Congr. de Prop. Fide, Franciscus Ingoli,⁴⁰ qui veluti anima totius Congregationis per 35 annos erat (1622-1648). Eius zelum monstrant eius opera. Ecclesia Hierosolymitana,⁴¹ Constantinopolitana, sed praesertim Ecclesia Ruthena conservant vestigia indelebilia eius laboris; hoc promanat ex unaquaque pagina documentorum conservatorum in Archivio S. C. de Propaganda Fide, ex unaquaque fere epistola Metropolitanarum Kioviensium huius temporis (Rutskyj-Korsak-Sielawa). Fuit zelantissimus promotor et protector temporibus pro existentia Ecclesiae Ruthenae difficillimis. Quapropter, exorta quaestione « unionis universalis » omnium Ruthenorum, cum Ecclesia catholica per tramitem Patriarchatus erigendi, animus Francisci Ingoli incepit maximo cum ardore occupari.

Ex praecedentibus capitibus scimus, Metropolitam Iosephum Rutskyj effectum deliberationum in conventu Novhorodensi 20 januarii 1624 circa negotium Unionis per Patriarchatum creandum habito, additis quoque votis theologorum catholicorum,⁴² die circiter 4 mai 1624 Romam misisse. Attamen S. C. de Propaganda Fide solummodo 20 januarii 1625 se hoc negotio occupari potuit; quod quidem ob gravitatem et maturiorem deliberationem ad S. C. S. Officii remissum fuit.⁴³ Nullum tamen responsum latum fuit,

³⁹ SMURLO, *op. cit.*, pars II, p. 39.

⁴⁰ *Iuris Pontificii S. C. de Prop. Fide, pars I*, p. 3: « Secretarius vero a nobis pariter deputatus, dilectus filius Franciscus Ingolus, presbyter Ravennas utriusque iuris doctor ».

⁴¹ Multum pertractabat de unionem cum Patriarcha Hierosolymitano Theophano, qui consecravit episcopos orthodoxos Ruthenos Kioviae an. 1620.

⁴² KRYPJAKEYC Iv., *Novi Materialy do istorii soboriv 1629* (documenta ad synodos an. 1629), in « Zapysky N. Tov. Sevcenka », Leopoli 1913, IV B.

⁴³ ARCH. PROPAG. FIDE, *Acta*, (1625), t. 3, fol. 188v-189, n. 13: « Referente Illmo Bandino articulos a Metropolita Russiae propositos circa unionem schismaticorum, quos dicebat facile posse ad obedientiam Romanae Sedis perducere per creationem novi Patriarchae totius Russiae, S. Con-

sed occasionaliter ad Metropolitam Josephum scriptum fuit: « faciant schismatici professionem fidei et Suam Sanctitatem scire quid factum sit in ipsorum honorem et commodum ».⁴⁴

Annis posterioribus, quando quaestio « unionis universalis » omnium Ruthenorum per Patriarchatum creandum denuo agitata fuit, Metropolita Josephus negotium hoc suo in Urbe agenti, P. Nicolao Novatio, commendabat promovendum.⁴⁵ Videtur etiam, Raphaël Korsak durante sua iterata in Urbe commorazione negotium hoc tractasse (1633-1635, 1639-1640).

S. C. de Propaganda Fide 3 sessiones super hoc negotium habuit, scil. die 4, 22 januarii ac 6 julii 1629, quarum mentem breviter evolvere volumus, innixi in primis orationi Francisci Ingoli, in hac causa habitae.

In genere pro Curia Romana creatio Patriarchatus in Ecclesia Ruthena acceptabilis fuit. Ipsumque negotium duas partes habebat, unam negativam,⁴⁶ positivam alteram.

Quoad primam partem, propter tristem experientiam ex magno schismate Orientali, Curia Romana erigens Patriarchatum in India, Patriarchae praecepit residere in Hispania. Prelati cum tali titulo difficile a Romano Pontifice gubernari possint. Ipsa movebat omnem difficultatem, quam superare debebat in executione huius negotii ex parte regis, comitiorum et episcoporum latinorum. Porro totum ius Patriarchale essentialiter, secundum mentem can. 6 concilii oecumenici Nicaeni, in consecratione episcoporum consistebat. Hanc autem potestatem habebant et ipsi Metropolitani Rutheni iam antiquitus et nunc post initam unionem cum Ecclesia Catholica eam pacifice exercebant. Tota mutatio ergo in eo esset, quod Metropolita coronetur pulchro titulo Pa-

gregatio conspiciens articulos praedictos maturiori deliberatione indigere, remisit huiusce negotii examen Congregationi S. Officii », Cfr. ed. in: SMURLO, *Saint Siège...*, II, p. 43, n. 8 (24).

⁴⁴ KRYPAKEVYC IV., *Novi materialy...*, in Z, N. T. Sevc., 1913, fasc. 4, p. 22.

⁴⁵ De P. Nicolao Novatio extant plura documenta in Tabulario S. C. de Prop. Fide. Fuit Procurator Negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe ab anno 1626 (15.VI) ad annum 1633 (januarius) quando et mortuus est, Romae. Cfr. artic. P. A. G. WELYKYJ in « *Analectis OSBM* », Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 1, p.; cfr. PETRUSEWYC A., *Dopolnenije do svodnoj ruskoj letopisy*, p. 834.

⁴⁶ APF, *Lettere antiche*, vol. 337, fol. 402: « Compendio del negotio de Rutheni da esaminarsi per dar istruzione al Nuntio di Polonia di quello, ch'havrà da fare »: « In questo punto se ben per la negativa si può dire che non è bene far prelati tanto grandi, perchè poi erigunt cornua contra Sedem Apostolicam, come s'è veduto de' Patriarchi di Constantinopoli, e degl'altri dei popoli orientali, e perchè per questa ragione principalmente si fa il Patriarca nell'Indie col precetto di resedere in Spagna e finalmente perchè se bene non erigunt cornua, nondimeno il Papa malamente può esercitar la sua potestà in essi, e nelle diocesi loro come s'è veduto, e si vede negli arcivescovati e vescovati grandi della Germania... », cfr. ed. in SMURLO, *Saint Siège...*, II, p. 56.

triarchali, nulla de cetero mutatione facta in eius iurisdictione exercenda.

De cetero Ruthenis est honorabilius subesse immediate potestati Romani Pontificis, nam ille etiam Patriarcha totius Occidentis est; utilius, nam Romanus Pontifex habens supremam potestatem super totam Ecclesiam potest multiplicare gratias; etiam minus damnosum esset propter contributiones, nam talis dignitas uti Patriarchalis debet habere magna auxilia. Denique difficile est obtinere consensum regis Poloniae, comitiorum ac episcoporum latinorum.⁴⁷ Tales erant considerationes Curiae Romanae quoad negativam partem novi Patriarchatus.

Nihilominus negotium Patriarchatus Rutheni habuit etiam suam positivam partem.

Primo quidem Patriarchatus Kioviensis finem ponebat obedientiae Ecclesiae Ruthenae Patriarchae Constantinopolitano et eliminabat omne periculum, quod imminabat ei e Constantinopoli. Nam vastissima provincia ecclesiastica Patriarchatus Constantinopolitani, qualis fuit *Ῥωσία* praebebat ei occasionem superbiae et ambitionis. Per creationem ergo Patriarchatus Kioviensis inferebatur ei magnum vulnus. Debilitatus amissione suae vastissimae provinciae Patriarcha Constantinopolitanus post aliquod tempus esset paratus ad unionem cum Ecclesia Catholica. Forsitan et alij Patriarchatus Orientis separati, ducti antea exemplo Constantinopolitani in malum, nunc autem liberati ab eius praepotentia, reverterentur ad unionem cum Ecclesia catholica.⁴⁸

⁴⁷ APF, *Lettere antiche*, vol. 337, fol. 411: *De sinodi Ruteni. Discorso del segretario Ingoli*: «... ma ancora per trattare del titolo di Patriarca, che sommamente desiderano per lo metropolita Chioviense, in tal caso il nuntio dovrà per quanto potrà disuaderli questo trattato, poichè prima loro sarà più honore di stare immediatamente sotto il Papa, il quale è insieme Patriarca d'Occidente. 2°. li sarà più utile perchè da esso possano moltissime gratie per la suprema autorità che ha Sua Santità in tutta la Chiesa cattolica. 3°. sarà loro men dannoso perchè non saranno gravati da varie frequenti contributioni, come sarebbero dal Patriarca che loro fosse dato, perchè questi per mantenere col dovuto decoro la sua dignità, havrà bisogno di grandi aiuti. 4°. perchè per farlo havranno non poche difficoltà in ottenere il consenso del rè, della dieta, e dei vescovi latini. 5°. Finalmente perchè questa dignità non aggiungerà al Metropolita se non il nome, havendo egli già il jus di fare i vescovi nella sua provincia, nel che consiste principalmente, et in sostanza il jus patriarchale, come si vede nel canone 6 del primo Concilio Niceno... ». Cfr. ed. in: SMURLO, *Saint Siège...*, II, p. 52.

⁴⁸ APF, *Lettere antiche*, vol. 337, fol. 411 sq. « *Discorso...* »: Impercioche in questo caso non ha dubbio che col dare il solo nome di Patriarcha al Metropolita, come si è detto di sopra, si fa il servizio di Dio, con guadagno di tante migliaia di anime si fa l'utile della Chiesa Romana, perchè prima si smembreranno le Russie dal Patriarca di Constantinopoli il quale è necessario d'abbassare, acciò si riduca finalmente colla sua diminutione all'obbedienza del Papa, si come colla sua grandezza se gli è sempre opposto e se gli oppone di presente » Cfr. ed. in SMURLO, *Saint Siège...*, II, p. 53. Et in « *Compendio del negotio de Rutheni da esaminarsi...* », *Lett. ant.*, vol. 337,

Insuper Patriarchatus Kioviensis haberet vim attractivam relatae ad alias Ecclesias orthodoxas Illyricas (Bulgariae, Serbiae et etiam Moldaviae et Valachiae), quae propter idiomatis similitudinem haberent inclinationem ad Patriarchatum Kioviensem et cum eo ad Ecclesiam Catholicam.⁴⁹

Hisce temporibus Ladislaus, filius Sigismundi III, regis Poloniae, praetendebat ad thronum tzari Moscoviae, proinde in casu Ladislao favente facile potuisset extinguere Patriarchatus Mosquensis orthodoxus et submitti dioeceses Moscoviticas sub iurisdictionem Patriarchae Kioviensis, sicuti antea fuerunt sub iurisdictione Metropolitum Kioviensium.⁵⁰

Quapropter Curia Romana considerans rationes pro et contra negotium Patriarchatus Kioviensis, censuit hoc negotium admitendum esse in casu, si schismatici nullo alio modo vellent facere unionem et si hoc postularet salus animarum.⁵¹ De cetero « de

fol. 402 sq: « ... tuttavia l'affermativa per che si deva seguitare, perche facendosi un Patriarca di Russia, si debiliterà e scemerà grandemente la potenza del Patriarca di Constantinopoli tanto inimico et emulo della Sede Apostolica; nel che devono li Pontefici Romani premer straordinariamente perche se si debilitasse quel patriarcato di maniera che gli altri Patriarchi d'Oriente fossero di esso maggiore, il Patriarca di Constantinopoli finalmente perderebbe il loro seguito, e forse l'Alessandrino et Antiocheno potrebbero voler i loro luoghi, ne quali erano al tempo del concilio Niceno e poi tutti insieme per la maggioranza de patriarchato d'Occidente sottoposti alla Sede Romana » (4 iunii 1629), Cfr. ed. in SMURLO *Saint Siège...*, II, p. 56.

⁴⁹ *IBID.*: « ... et ultimo perche facendosi Patriarca in Russia si guadagnano con poca difficoltà 8 over 10 provincie dell'Illyrico perche gli schismatici di quelle allettati dal titolo di Patriarca, aderirebbero più tosto al Patriarca della lingua loro, che al Patriarca di Constantinopoli di lingua greca, che non intendono, et in questa maniera maggiormente si debiliterebbe il Patriarcato Constantinopolitano », Cfr. SMURLO, *op. cit.*, II, p. 56.

« *Dei Sinodi Rutheni. Discorso del segret. Ingoli* », l. cit.: « 2°. perche forse si dimembreranno anco le provincie Illiriche dal sudetto patriarcato perche essendo tutte della medesima lingua, della quale sarebbe il Patriarca della Russia, più volentieri s'unirebbero con esso che col greco il quale non intendono, nè in voce nè in scritto.

3°. Perche la Chiesa Romana (e quest'è una potentissima ragione del Sign. Cardinal S. Sisto) s'assicurerà, che mai li Rutheni ritorneranno sotto li Patriarchi, perche il loro Patriarca per mantenere la sua dignità farà tutte le possibili diligenze, e sempre s'opporrà alli Patriarchi di Constantinopoli, che volessero sottomettere le Russiae., Cfr. SMURLO, *op. cit.*, II, 53.

⁵⁰ « *Compendio del negotio de Rutheni...* », l. cit.: « 2°. perche se in Moscovia succedesse, come può facilmente, qualche figlio delli rè di Polonia, non sarebbe difficile l'estinguere quel patriarcato, e ridurre li Moscoviti sotto il Chioviense come erano inanzi il Concilio Fiorentino », Cfr. SMURLO, *op. cit.*, II, p. 54.

⁵¹ « *De Sinodi Rutheni. Discorso...* », l. cit.: « ... et ultimo se gli schismatici non volessero in modo alcuno unirsi senza il detto titolo di Patriarca per il lor Metropolita, in questo caso, se ben Nostro Signore non inclina à simili novità, e con molta prudenza per esser quelle sempre pericolose, e per haver la sudetta difficoltà del consenso del re, della dieta, e dei vescovi latini, tuttavia potrebbe Monsignor Nuntio dir loro che non

titulo patriarchali a schismaticis praetenso agendum non esse ante factam et publicatam synodaliter unionem». ⁵²

Et ita primis annis tertij decenni saec. xvii tractationes de Patriarchatu Kiowiensi erigendo, ut medio unionis universalis Ruthenorum, finem suum habuerunt, variis eventibus historicis cooperantibus. Ita Meletius Smotryckij factus est unitus, Metropolita vero orthodoxus, Boreckij, moritur; inde ex parte orthodoxorum veniunt alii viri. Moritur anno 1632 rex Poloniae Sigismundus III, et in comitiis electionis et coronationis Vladislaj IV schismatici victoriam reportarunt in grave damnum Unionis. Haec et similia novam omnino periodum in historia Ecclesiae unitae inchoarunt. Etiam tractationes de « unione universali » et de Patriarchatu Kiowiensi in novam periodum veniunt, quae a parte tractari debet. ⁵³

si può tal grazia domandare a Sua Santità prima d'haver fatta unione, e quando pure stessero risoluti di non voler far l'unione senza questa conditione si potrebbe promettergliela, perche, come hanno detto alcuni signori Cardinali non si deve stimare novità, ne si deve temere la repugnanza del re e degli altri, quando il servizio di Dio, la salute delle anime et il profitto della Chiesa Cattolica persuadono altrimenti ». Cfr. SMURLO, *op. cit.*, II, p. 53.

⁵² Resolutio S. Congreg. de Prop. Fide, die 22 junii 1629, vide in: *Acta S. C. de Prop. Fide*, t. 6, fol. 290v, n. 6, in congr. 111; cfr. ed. in SMURLO, *op. cit.*, II, p. 59.

⁵³ Ex. gr. *Val. lat.* 8473, pars I, fol. 14, Secret. Ingoli scribebat an. 1636 Nuntio Poloniae: « Hora la mando con avvertire V. S. Ill.ma che non s'ha da trattar di quel punto, che tocca il palatino (Sanguszko) circa il far un Patriarca in Russia, perche altre volte s'è discusso questo negotio nel Sant'Officio, e si determinò, per quanto intesi, che non si facesse questa novità per adesso forse per non irritar maggiormente et alienar li Greci di Levante dall'Unione colla Santa Chiesa Romana », cfr. ed. in SMURLO, *op. cit.*, II, p. 129. De hac ipsa questione cfr.: Mikolaj ANDRUSIAK, *Sprawa Patriarchatu Kijowskiego za Władysława IV.* (in « Prace historyczne w 30-lecie działalności profesorskiej Stanisława Zakrzewskiego », Leopoli 1934, p. 271 sq.

A. G. WELYKYJ OSBM.

ANNUS ET DIES MORTIS METROP. RAPHAELIS KORSAK

In Ecclesia SS. Sergii et Bacchi, Romae, - antiqua residentia Procuratorum Generalium Ecclesiae Ruthenae in Urbe - in pavimento eiusdem ecclesiae hoc epitaphium positum est:

D. O. M.
 RAPHAELI EX COMITIBUS KORSAK
 ARCHIEPISCOPO KIOVIENSI ET HALICIENSI
 METROPOLITANI TOTIUS RUSSIAE
 QUI
 A SIGISMUNDO III POLONIARUM REGE
 APUD S. SEDEM AD GRAVISSIMA NEGOTIA
 ET B. IOSAPHAT KONCEWICZ
 ARCHIEP. POLOCENSIS MARTYRII CAUSAM AGENDAM
 ABLEGATUS
 REBUS SEDULO FELICITERQ. CONFECTIS
 ECCLESIAM HANC SACRA SUPELLECTILI
 AUREISQ. ET ARGENTEIS DONARIIS A SE AUCTAM
 PROXIMASQ. AEDES MONACHIS SUAE NATIONIS
 ORDINIS S. BASILII MAGNI
 AB URBANO PP. VIII
 IMPETRAVIT
 MORS IMMATURA...
 HIC TUMULATUS... MDCLII
 MONACHI POLOCENSES HOC MONUMENTUM
 POSUERUNT
 IV. IDUS DECEMBRIS A. MDCLXXIII.¹

Epitaphium positum fuit anno 1897 in restauratione dictae ecclesiae, ad instar epitaphii antiqui, quod ab Ep. Juliano Pelesz adhuc cognoscebatur et in opere suo monumentali historico citatur, textu magis adhuc destructo.²

¹ In supra dicto epitaphio, praeter lacunas et textus corruptionem, dantur errores grammaticales et historici. 1. grammaticalis: loco «metropolitani» esse debet «metropolitano» (linea 4^a); 2. historici: Korsak ter Romae degebat, sed nunquam a Sigismundo III missus; a) prima vice studet in Coll. Graecorum, XII.1621-28.XII.1624; b) anno 1633 (III)-1635 (20.IX), ut Ep. Pinscor. et Metrop. Coadiutor, missus etiam a Rege Vladislao IV (1632-1648) e Comitibus Coronationis e Cracovia; c) anno 1639 (23.VIII) usque ad suam in Urbe mortem; primario venit «ad limina». Non potest dici, quod dictam ecclesiam ab Urbano VIII impetravit; solum eam exornavit et dotavit; fortasse etiam error quoad tumulationis datam.

² PELESZ, *Geschichte der Union der Ruth. Kirche mit Rom*, Bd. II, S. 214-215: ubi citat usque ad lineam 11 «REBUS SED... Das Weitere verdorben... abgerieben».

In utraque inscriptionis forma - nova et antiqua - initium inscriptionis bene conservatum est. Desideratur pars historica partibus posterioris, quae epitaphio huic occasio fuit: dies et annus mortis Metropolitae R. Korsak.

Mihi videtur hanc epitaphii corruptionem causam fuisse, cur neque mortis huius Metropolitae annus neque eo potius dies in historiographia cognoscebatur, et quidem iam initio saeculi XVIII.

Nam iam Ign. KULCZYNSKI in suo «*Specimine Ecclesiae Ruthenae*»³ annum mortis R. Korsak 1641 assignavit, quem secutus est fideliter I. STEBELSKI in sua «*Chronologia*».⁴ Etiam in Archivio S. C. de Propaganda Fide documentum mortem R. Korsak certe testans non invenitur, nam in relatione saec. XVIII, congregationi particulari super negotia Ruthenorum tradita, dicit aliquis auctor (an. 1748), qui certe cognoscebat Archivium S. C. de Propaganda Fide, hoc modo: «morto il Velamino nel 1637, subentrò al governo della metropolia il Coadiutore Corsach, il quale dopo alcuni anni venne a Roma e vi morì nel 1642. Mentre che questo Metropolitano stava infermo il Segretario di Propaganda espose in un foglio la necessità di scriversi al Nuntio in Polonia, acciò prevenisse il Re col proporre un soggetto a proposito per la metropolia...».⁵ Hisce ex auctoribus jam alii saeculo XVIII et XIX et usque ad hoc tempus⁶ annum mortis Korsak 1641 communiter signant,⁷ excepto A. Petruszewycz, in suis «*Prylozenija*» ad suam chronographicam compilationem.⁸

Anno 1943 in libro D. BLAZEJOWSKYJ, *De potestate Metropolitum Kioviensium Catholicorum in Clerum regularem*, Romae edito, auctor in suo elencho Protoarchimandritarum annum mortis Korsak 1640 notavit, nullum vero fontem huius determinationis inducens,⁹ ita ut haec opinio historiographiam nondum serio penetrare posset.¹⁰

Sine ulla etiam fontium indicatione in indice alphabetico libro E. SMURLO, *Le Saint-Siège et l'Orient orthodoxe Russe 1609-1654*,

³ KULCZYNSKI, *op. cit.*, III, p. 227; idem RODOTÀ, *Dell'origine...* III, 200.

⁴ STEBELSKI, *Chronologia...*, Wilno, 1782, *Przydatek do Chron.* W. 1783, p. 127.

⁵ APF, *Congreg. Partic.*, vol. 102, fol. 68v.

⁶ A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, p. 595.

⁷ J. PELESZ, *op. cit.*, II, 214; G. HOFMANN, *Ruthenica*, (Or. Chr. Per. Nr. 12, p. 208; A. GUÉPIN, *Saint Josaphat...* II, 367.

⁸ PETRUSZEWCZ A. S., *Spodnaja halycko-russkaja litopysj, 1600-1700*, Lvov 1874, *Prylozenija*, p. 861. «R. Korsak Metrop. moritur Romae...» «Anno 1640... die 4 septembris R. Korsak testamentum fecit Romae» (ex manuscr. Leonis KISZKA, p. 743); Recte quidem quoad annum, sed minus recte quoad diem et mensem conficiendi testamentum; non enim die 4 sept., sed 18 augusti 1640. (Cfr. originale testamenti in «*Archivio dello stato di Roma, Archivi dei 30 notari Capitolini*, A. Caninius, an. 1635-1640, fol. 811-822; officio 12°.

⁹ D. BLAZEJOWSKYJ, *op. cit.*, p. 184.

¹⁰ AMMANN, *op. cit.*, in textu habet an. 1640, p. 272; in indice: an. 1641.

apposito, ponitur pro metropolia R. Korsak annus 1637-1639,¹¹ cuius mors in Urbe E. Smurlo omnino cognita fuit.

Auctorum opiniones et determinationes in unum colligendo, annus vitae ultimus R. Korsak ad minimum tribus annis in historiographia variat: 1639-1641 (1642).¹² Si tanta auctorum differentia iam in ipso mortis anno designando, quid dicendum de die huius supremo! Nullus auctorum hanc quaestionem sibi hucusque proposuisse, videtur. Inde non sine fructus spe hoc problema a me in praesenti notula ponitur. Tempus jam est, ut lacuna in epitaphio magni illius S. Unionis propugnatoris, apud S. Sedem defuncti, expleatur.

*

Post mortem Josephi Velamin Rutskyj die 5.II.1637 episcopus Pinscensis, Raphael Korsak, jure suae in Metropolitana Sede Kioviensi Coadiutoriae, Metropolita Kioviensis sine ulla difficultate ab omnibus agnitus est. Novus Metropolita jure metropolitano, ut sese Pastori Universali praesentaret, obligatus fuit. Tempora tamen Ecclesiae Ruthenae difficillima et itineris difficultas hanc obligationem diem de die procrastinabant, etsi obedientia Summo Pontifici jam anno 1637 per Alumnos in Collegio Graeco studentes praestata fuit.¹³

Quo eodem anno 1637 secundus processus Polocensis in causa beatificationis Servi Dei Josaphat exaratus fuit (18.8) et Romam missus; proinde Romae promotor causae huius requirebatur. Sed hic status expectationis et a parte Metropolitanae cunctationis usque ad annum 1639 perdurabat; instante Nuntio Apostolico ut novus Metropolita « visitationem liminum » tandem faciet, Metropolita excusationes sufficientes semper inveniebat. Proinde convenire non potest, si commorationi Korsak Romae anni quatuor imputantur (1637-1641),¹⁴ etiamsi in numero annorum 1639-1642 refertur.¹⁵ Neque motivum eius Romae itineris admitti potest, quod cum I. Stebelski hoc modo concipitur: « wyzuty bowiem z oney (Metropoliae, AW) od owego Anti-Metropolity Piotra Mohily, i srodze przesladowany od Nieunitów, pojechał do Rzymu i tam przez dwie lecie starajac sie o Beatyfikacye slugi Bozego Jozafata... umarl R. 1641... ».¹⁶

¹¹ E. SMURLO, *op. cit.*, II, 238, in Indice.

¹² HUMBOLDT z POLOCKA, *Rafał Korsak Metropolita Rusi*, in « Przegląd historyczny », vol. III (1906), p. 351 etc. habet 1642.

¹³ APF, *Lettre antiche*, vol. 136, fol. 406, 412, 378 (num. antiqua; nova vero numeratio: 239, 240, 218).

¹⁴ HOFMANN, *Ruthenica*, in « Orient. Christiana », Nr. 12, p. 208.

¹⁵ HUMBOLDT z POLOCKA, *Rafał Korsak, Metropolita Rusi*, in « Przegląd historyczny » vol. IV (1907), p. 57.

¹⁶ I. STEBELSKI, *Chronologia...*, Wilno 1782, cap. III, p. 237, in nota; item: RODOTÀ PIETRO, *Dell'origine, progresso è stato presente del Rito Greco in Italia osservato dai Greci, Monaci Basiliani e Albanesi*, Roma 1758-63, v. III, p. 200.

Ad ultimum die 23 augusti 1639, secundum relationem Nuntii de data 27 augusti eiusdem anni,¹⁷ Korsak hanc peregrinationem ingressus est, de qua audiatur relatio Nuntii: « Mons. Metropolita di Russia havendo oblungato il suo viaggio a cotesta volta per la spesa, incommodo, pericolo, e lunghezza di esso, o altro, ch'io non so, finalmente indotto dalla mia persuasione parti a 23 del corrente (agosto, AW), per esser costi alla fine d'ottobre... ».¹⁸ Qua de causa, probabiliter, missio aliqua a parte Regis, vel ipsius Metropolitanae motu proprio, hac in re, excludi debet. Fortasse etiam Servi Dei Josaphat Beatificatio non ultima ratio itineris fuit, sed potius eius in Urbe commorationis consequentia.

Cum illa eius in Urbe commoratione coniungitur etiam Residentiae Procuratorum Generalium Ecclesiae Ruthenae in Urbe erectio, penes ecclesiam SS. Sergii et Bacchi, prout hoc in epitaphio supra citato commemoratur. Ex documentis Archivii S. C. de Propaganda Fide jam constat, partes Metropolitanae Korsak fuisse non tam in ipsa ecclesiae et domus collatione, quam potius ecclesiae et domus jam concessae vel donatae dotatione et exornatione. Ita jam anno 1638, die 7 junii Alumni Rutheni - Philippus Borovyk et Josaphat Isakovycz,¹⁹ adventum Korsak in Urbem praeparando ad S. C. de Propaganda Fide scribebant, Korsak pro sua in Urbe habitatione « palazzo vicino a S. Sergio e Baccho » postulare. Etiam in epistola Nuntii Poloniae de data 7 januarii 1639 Nuntius commemorans suam apud Regem Poloniae audientiam, scribit: « accennai anco l'opera, che pensa di fare l'Ill.mo Cardinale S. Onofrio in far accommodare la chiesa di S. Sergio con habitatione per i Monaci Rutheni di questi parti. Il che intentione lodò grandemente Sua Maestà e conclusi che Mons. Metropolita con l'esecuzione del suo debito in ordine alla visita sudetta doveva cooperare nell'effettuazione di quell'opera insigne per la sua natione... »;²⁰ Et revera, die 27 augusti eiusdem anni, annuntians iter Korsak, Nuntius Apostolicus scribit: « Vengono col detto Prelato alcuni giovani nobili della sua natione, et esso porta seco, dice, per la Chiesa de SS. Sergio e Baccho certi asciugatori lavorati curiosamente di seta et oro, ch'usano qui i Grandi per lavar le mani ne loro banchetti; ma l'uso e meglio impiegato, se, benedetti, s'adoprano sopra le tovaglie dell'altare ne Messe, o vespri solenni o private... ».²¹

Ideo meritum absolutum erectionis Residentiae Romanae Metropolitanae Korsak attribui non potest, si jam anno et sex mensibus ante eius in Urbem ingressum Cardinalis Barberinus de concessione Ecclesiae et habitationis cogitabat et Rex ipse Poloniae hac

¹⁷ ASV, *Nunziatura di Polonia*, vol. 81, fol. 383.

¹⁸ IBIDEM.

¹⁹ Venerunt Romam die 2.V.1633 ut sacerdotes iam. Disc. e Cofl. Graeco 8.IX.1638; Borovyk postea Procur. in Urbe (1639-1649); Isak. in patriam rev. et mort.

²⁰ ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 81, fol. 363.

²¹ ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 81, fol. 386.

de re certior iam factus fuit. Erat nempe residentia haec Romana, in qua Curia Romana et Metropolitana jam ab anno 1626 occupabantur, et Card. Barberinus anno 1630 ad concessionem alicuius ecclesiae in Urbe inclinabat.

*

Sub finem septembris, vel initio mensis octobris anni 1639, Metropolita Russiae Romam ingressus est et in « palazzo vicino à S. Sergio e Baccho » consedit, unde suam in Urbe activitatem dirigebat. Venit autem conspicio cum comitatu. Secundum calculationem Alumnorum circa 20 personae Metropolitam sequebantur, exceptis « alcuni giovani nobili della sua nazione ». ²² Ex eius vero testamento scimus, cum habuisse secum 15 homines. ²³

Non est finis nostri laboris, activitatem Metropolitae Korsak Romae exercitatum investigare. Scimus certe cum Romae multum egisse in causa Beatificationis Josaphat ita, ut jam die 3 decembris 1639 Urbanus VIII ad Regem Vladislaum IV scribens, Metropolitam Russiae Romae commorantem laudat eumque Regi commendat. Idem dicendum etiam de primis mensibus anni 1640. Et ita eius activitatis vestigia usque ad idem 20 augusti huius anni in documentis Archivorum Romanorum bene dignoscuntur. Sed iam media aestate illius anni sol caeli sereni Italiae hospitibus e Polonia longinqua in morbus, immo in mortem evasit.

Ita jam die 18 augusti 1640 (sabbato), convenerunt in Hospitium Nationis Ruthenae apud Ecclesiam SS. Sergii et Bacchi, « domi scilicet solitae habitationis ipsius Rev.mi Domini, regionis Montium prope Ecclesiam SS. Sergii et Bacchi » (cfr. Test. introductionem) septem homines (et locum tenens notarii A. Canini), inter quos eminebat Adm. Rev. P. Nicolaus Baldelli, Soc. Jesu (confessarius Metropolitae Korsak), et formalitatibus omnibus solitis expletis, nomina sua testamento Metropolitae (const. 8 paginis in folio), qui tunc temporis erat « sanus Dei gratia mente, sensu, loquela, visu et intellectu, licet infirmitate oppressus » (ib.), inscripserunt. Non est nostrum hic in ipsius testamenti textum inquirere. In genere tamen, quod nostram quaestionem spectat, dicendum est, Metropolitam revera animam egisse die 18 augusti, ita, ut successorem suum testamento enixe recommendabat, in persona Archiep. Polocensis Antonii Sielawa. ²⁴

²² APF, *Let. antiche*, vol. 137, fol. 216; et ASV, *Nunz. di Pol.* vol. 81, fol. 386v; Post ejus in Urbe mortem, unus e « familia » metropolitana petiit subsidium, ut reverti posset, (vide: A.P.F. *Memoriali 1640*, vol. 401, fol. 5, 6; 11v et 12v.

²³ Test. Korsak, Doc. originale in « *Archivio dello Stato di Roma* », A. Caninius, 1635-1640, fol. 811-22.

²⁴ ARCHIVIO DELLO STATO DI ROMA, *Archivi dei 30 Notari Capitolini*, officio 12: A. Caninius, ann. 1635-1640, fol. 811-822 — orig. ARCHIVIO STORICO CAPITOLINO, *Testamenta 1640*, A. Caninius, officio. 12, vol. XXVIII,

Hoc eodem mense augusto anno 1640, die vero 19 (dies Dominica) in « palazzo vicino à San Sergio e Baccho » convenerunt iterum sex alij homines illustres nationis Polonae et Lithuanae, qui hoc tempore Romae commorabantur, ut Joanni Dubowicz, nobili Lithuano, testamentum conscribenti assisterent. Mea sententia, saltem aliqui illorum testium erant in comitatu Metropolitae Russiae. Hisce testantibus Joannes Dubowicz, filius Ignatii, « sanus Dei gratia mente, sensu, loquela, visu et intellectu, licet aliquantulum morbo gravatus », ²⁵ die 19 augusti anno 1640 testamentum suum « condere procuravit ». Videbimus postea, morbum huius Lithuani et consequenter eius mortem intime coniungi cum morbo et morte Metropolitae Kioviensis, qui revera iam ante hunc diem morbo mortali gravatus in dicto « palazzo » decumbebat.

*

Primum vestigium de morbo Metropolitae Korsak in Archivio S. C. de Propaganda Fide, inveni sub die 20 augusti 1640; ergo die consequenti testamentum Joannis Dubowicz. In una nempe minuta epistolae Secretarii de Propaganda Fide ad Nuntium Poloniae praeparata, scribitur: « Ritrovandosi Mons. Rafael Corsach Metropolita di tutta la Russia, unito, in condizione (in termine, ²⁶) che li medici non li danno di vita più che otto giorni... ». ²⁷

Ut dictum est, haec scriptura erat « minuta », scil. prima conceptio epistolae ad Nuntium Poloniae transmittendae, et fuit scripta, quando morbus Metropolitae crisim suam non superaverat et mors appropinquabatur; ex textu « minutae » concludimus, Sacram Congregationem nullam iam spem habuisse de vita Korsak; proinde de successione in cathedra Kioviensi serio iam S. Congregatio loquitur, etiam ipsius morientis de digno eius successore consilium expetendo, qui in suo testamento jam Antonium Sielawa commendabat.

Ultima forma epistolae supra citatae ad Nuntium Poloniae praeparata fuit die 25 augusti eiusdem anni, quo die, videtur esse missa ad « palatium » Secretariae Status pro registratione et expeditione. Revera in registro litterarum Nuntiaturae Poloniae invenitur sub data 25 augusti 1640. Qua in ultima redactione, prout stat in dicto registro, ²⁸ mutatio facta est, quae in nostra ma-

sub die 18 augusti, 1640 — copia officialis; Cfr. Argumentum testamenti in A. PETRUSZEWYCZ, *Svodnaja...* 1600-1700, p. 861; *Opisanije Archiva Zapadnorusskych uniatskych mitropolitov*, vol. I (1470-1700). St. Petersburg. 1897, p. 260, Nr. 707.

²⁵ APF, *Russia, Polonia*, vol. 338, fol. 324-325; ARCHIVIO DELLO STATO DI ROMA, I. c., fol. 865, (orig.). ARCHIVIO STORICO CAPITOLINO, XXVIII, (copia).

²⁶ APF, *Russia, Polonia*, vol. 338, fol. 265.

²⁷ APF, *Lettere antiche*, an. 1640, vol. 139, fol. 339.

²⁸ ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 50, fol. 49.

teria substantialem fere valorem habet; agitur nempe de mutatione sententiae medicorum de vita Metropolitae; nunc non dicitur iam de « otto giorni », sed dicitur simpliciter, Metropolitam esse « in termine, che per parer de medici non puo vivere se non per pochi giorni... » (ib.). Mutatio non fuit arbitraria forma styli cancellariae, sed certe morbi progressu infelici fundabatur. Illud « per pochi giorni » ostendit, Metropolitam revera iam in ultimo fine suae vitae fuisse.

Quae epistola circa morbum Korsak est de facto ultima hodie nota, quae nobis conservata est. Post hanc epistolam habetur intervallum silentii usque ad diem 29 septembris, qua die responsum Nuntii e Varsavia, de Ecclesia Kioviensi tractans expeditum fuit; epistolis vero ex parte Sedis Romanae missis mors Metropolitae Korsak simpliciter iam supponitur, ita, ut in Processu consistoriali (die 15 decembr. 1640) de successione Antonii Sielawa, testes interrogati de Ecclesia Chioviensi: an vacet, respondebant vacuum esse per mortem Metropolitae Raphaelis in Curia, ut notum esset;²⁹ et hoc iam die 15 decembr. 1640.

*

Quae cum ita sint, quando est mortuus Metropolitae Korsak? Si respicitur data Processus Consistorialis de successione Antonii Sielawa in Metropoliam Kioviensem, qui die 15 decembris 1640 habebatur, tunc omnes determinationes negari debent, quae mortem Korsak in annum 1641 vel 1642 constituent. Reliquus est ergo solummodo annus 1640, quo Korsak mortuus est. Nam Korsak non anno 1939 (prout vult E. SMURLO) mortem subisse demonstrat testamentum eius, die 18.VIII.1640, forma solemnissima exaratum (7 testes et notarius publicus) et epistola de data 25 augusti 1640, qua Metropolitae Korsak « pochi giorni di vita » conceduntur. Ergo nostrae investigationi tempus inter 25.VIII et 15.XII 1640 remanet.

Uterior notitia, quae illud tempus ad unum tantummodo mensem redigit, habetur in « Actis » congregationum generalium S. C. de Propaganda Fide. In congr. generali die 24 septembris habita, cardinalis S. Crucis retulit petitionem P. Philippi Borovyk, Procuratoris Ecclesiae Ruthenae in Urbe, ut dantur litterae commendatitiae Patri Josaphat Isakovycz (Basilianus), qui profecturus est Vilnam in Lithuania, ut recipiat 20 milia florenorum, « lasciati da Joanne Dubowicz, un Signor Rutheno morto presso di loro (SS. Sergio et Baccho) poco dopo il Metropolitae Raphaelle ».³⁰ Ecce jam secunda vice persona Joannis Dubowicz cum illa Me-

²⁹ ASV, *Processus Consistoriales*, vol. 42, fol. 366-374; testes examinati sunt Phil. Borovyk et I. Kopienik.

³⁰ APF, *Memoriali*, an. 1640, vol. 401, fol. 102.

tropolitae Korsak conjungitur, ex qua conjunctione concludimus, Metropolitam Korsak certe non fuisse mortuum post diem 24 septembris.

Notitia supra citata restat in nostra materia quaestio de die suprema Joannis Dubowicz. Scimus iam suum testamentum fuisse conditum die 19 augusti an. 1640, quo die ille « aliquantulum morbo gravatus fuit », ceterum vero « sanus mente, sensu, loquela, visu et intellectu ».³¹ Inde cogi potest eum certe die 19 augusti mortuum non esse. Quando tamen?

Secundum praxim tunc temporis vigentem, testamenta rite condita post conditoris mortem aperiebantur et per subscriptionem notarii post testamenti recognitionem valorem publici instrumenti acquirebant; erant scilicet rite publicata. Si nunc testamentum Dubowicz forma solemnii cum sex testibus exaratum consideratur,³² et eiusdem testamenti in Archivio Urbano Generali exarata copia cum originali rite concordans spectatur,³³ tunc dicendum est: Joannem Dubowicz non fuisse mortuum post diem quartam septembris 1640, vel ad minimum non post diem octavam eiusdem mensis. Nam die 4 septembris in Archivio Urbano facta fuit recognitio huius testamenti et copia eiusdem cum originali rite concordans confecta, ab archivista Francisco de Falicibus subscripta sigilloque Archivii munita. Die vero 8 septembris « Angelus Caninius, civis Romanus, Curiae papalis notarius de praemissis rogatus praesens instrumentum (scil. aliam copiam testamenti, nunc in A. P. F. asservatam A. W) subscripsit et publicavit requisitus ». Haec scripta sunt manu propria ipsius notarii Caninii; post hanc notulam in copia Archivi Propagandae Fidei sequitur processus verbalis subscriptionis et publicationis factae a parte istius Angeli Caninii; processus hic, ubi legitimitas actionis Caninii attestatur, superscriptus fuit a vicesgerente Secretarii Collegii notariorum Curiae Capitolinae, Ascanio Barbo, eiusdem curiae notario, die 8 septembris.

Omnia supra dicta (circa copiam publici valoris) facta fuerunt, ut Patri Isakovycz in Lithuaniam proficiscenti documentum authenticum procuraretur ad voluntatem testantis Dubowicz in favorem Residentiae Romanae exsequendam. Etsi hisce consideratis dies mortis Joannis Dubowicz nondum stabilita est, tamen supradictis praemissis conclusio deduci potest, ope consuetudinis in morte hominum vigentis.

³¹ APF, *Polonia, Russia*, vol. 338, fol. 324; non fuisse mortuum 19.VIII. 1640, quia alias non esset vita functus « poco dopo il Metropolita Raphaelle », qui saltem die 24.VIII adhuc vivebat.

³² ARCHIVIO DELLO STATO DI ROMA, *Archivio dei 30 notari Capitolini*, A. Caninius, vol. 1635-1640, fol. 865 RV.

³³ ARCHIVIO STORICO CAPITOLINO, A. Caninius, XXVIII, (copia); *Testamenta*.

Supponamus imprimis talem consequentiam rerum post mortem dicti Joannis. Saltem die tertio post mortem colonia Polona in Urbe ad sepulturam procedit, ut in tali occasione solitum est et calor aestivus Urbis Romae exigebat. Necesse est ut his tribus diebus unus dies addatur pro rerum compositione et initiando processu circa aperturam et executionem testamenti; «interessati» fuerunt imprimis duo Patres Basiliani in Urbe residentes; aliquisne executorum testamenti Romae commoraretur nescimus,³⁴ sed certe dicti Patres sibi documentum authenticum et publice validum quam primum procurare volebant, in forma verificatae copiae testamenti Joannis Dubowicz, quod et factum fuit die 8 septembris 1640, subscriptione Angeli Caninii, notarii publici.

Et revera collocatio testamenti in Archivio Generali Urbano,³⁵ quod testamentum sine notario publico confectum fuit praesentibus solummodo sex testibus, evenit die 4 septembris, feria nempe tertia. In copia asservata in Archivio Generali Urbano datur adnotatio de hoc facto, ut videtur, facta hoc eodem die (4.IX). Haec notula collocationis et recognitionis testamento etiam valorem legalem dedit. Fit quaestio, cur collocatio haec praecise die martis (4.IX) locum haberet?

Nobis videtur esse vere probabile, si supponamus diem 3 septembris (dies lunae) fuisse dedicatam compositioni rerum post hos tristes eventus in hospitio SS. Sergii et Bacchi et praeparationi pro apertura testamenti officiali, quae praeparatio fortasse in forma visitationis officii notarilis Angeli Caninii, notarii publici Capitolini in Regione Montium, evenit. Inde sepultura, - nam contendimus formalitates hae initium habuerunt, quando Joannes Dubowicz jam terrae traditus fuit, - locum habere potuit ad summum die dominica (2.IX). Sed si consideretur character diei dominicae et officii funeralis in ritu graeco, tunc videtur non verisimile hanc diem electam esse pro sepultura. Exclusa ergo die 3 et 2 septembris, propter rationes adductas, sepultura haec bene die sabbato (1.IX) collocari potest, qui dies in ritu graeco commemorationi omnium christifidelium defunctorum est dedicatus et pro funerali pompa persolvenda aptissimus. Inde in hac suppositione, saltem tertio ante sabbatum die ipsa mors Joannis Dubowicz locum habere potuit, i. e. die 29 augusti, quo die ipse

³⁴ Executores testamenti Dubowicz fuerunt ab ipso designati: Marci-
cianus Tryzna, Ep. coadiutor Vilnen, Marchio Valerius Sancta Crucis,
Stephanus Dyczkowski et Theodatus Zakrzewski, consiliarius Vilnensis.

³⁵ Testamentum primario collocatum fuit in officio notarii Angeli Cani-
nini, qui unam copiam authenticam in Archivio Generali Urbano collo-
care debuit; originale conservabatur in officio notarili Regionis Montium,
unde postea venit in Archivium Status una cum aliis Archiviis 30 nota-
riorum Urbis.

vita functus est « poco dopo il Metropolita Korsak ». Talis rerum consecutio est normalis, praxi in tali tristi occasione correspondens, et inde potest dici vere probabilis, deficiente omnino aliquo vestigio de processu extraordinario.

Ex tali consideratione pro nostra quaestione superest conclusio: Si Joannes Dubowicz e vita abiit « poco dopo il Metropolita Raphaelae », ut retulit Cardinalis S. Sixti in congregatione generali die 24 septembris 1640, et ipse Dubowicz probabiliter vita functus est die 29 augusti, tunc certe ipse Korsak post diem 28 augusti e vita excedere non potuit.

Debemus ibi etiam commemorare testamentum Raphaelis Korsak etiam die 4 septembris officialiter apertum esse, simul cum illo Joannis Dubowicz; proinde non potuit utraque mors ab invicem multum distare ita, ut illa metropolitae fuit « poco prima » illa Joannis Dubowicz.

In nostra inquisitione devenimus ergo ad periodum, quae restat inter diem 25.VIII et diem 29.VIII, qua periodo mors Metropolitanae Kioviensis locum habuisse debet et quidem « pochi giorni » post diem 25.VIII, et simul « poco prima » diei 29.VIII. Hac periodo illa etiam hoc modo nobis collocanda est, ut apertura officialis testamenti tantummodo die 4 septembris possibilis evaderet, quod bene obtinetur, si utraque mors diebus subsequentibus admitteretur.

Practice tamen nescimus qualis nam realis mensura assignanda sit huic adverbio: « poco dopo ». Secundum theoreticam considerationem spatium trium dierum inter 25.VIII et 29.VIII potest dividi in partes aequales; et tunc dies supremus Korsak probabiliter esset dies 27 augusti et ita utrique determinationi, scil.: « pochi giorni » post diem 25.VIII., et mors Dubowicz sequeretur « poco dopo » illa Metropolitanae Korsak satis fieret. Si autem reputatur una ex parte agi de « per pochi giorni », ergo debebant fuisse saltem duo, ex altera vero parte agi de indeterminata brevi successione post alium terminum praecedentem « poco dopo », quo in casu satisfaceret etiam uni solummodo diei, tunc possumus etiam rectius dicere: Metropolitam Korsak probabilius die 28 augusti 1640 e vita excessisse.


*

Suntne vero nostrae conclusiones rectae? Sunt certe probabiles, etiam si alia documenta magis explicita non dantur, ut conclusiones ad certum redigerentur.

Revera habemus notitias, quae conclusiones nostras corroborant, immo certas reddunt: sunt nempe libri defunctorum illius parochiae, ubi unus et alter mortuus est.

Anno 1640 ecclesia SS. Sergi et Bacchi erat propria parochia, sub directione PP. Minimorum. Post ecclesiae autem cessationem in favorem Monachorum Ruthenorum, parochia suppressa est in

favorem ecclesiae S. Francisci di Paola. In hac parochia conservantur libri parochiales, etiam volumen mortuorum parochiae SS. Sergii et Bacchi, uti volumen dictae parochiae primum. In quo volumine, sub anno 1640, mense augusto legitur: «Eodem anno die 18 augusti Raphael Korsak Archiepiscopus Metropolitani totius Russiae in communione S. M. Ecclesiae animam Deo reddidit in Ecclesia SS. Sergii et Bacchi»³⁶. In eadem pagina die sequenti, id est: 19. augusti scribitur: «eodem anno die 19 augusti Joannes fil. Ignatii Dubovitii, Lithuanus, in communione S. Matris Ecclesiae animam Deo reddidit in nostra parochia» (ib.). Fidelitas utriusque notitiae testificatur: «in quorum fidem: fr. Angelus a Longobardis, Curatus». Et nihil plus.



Si nunc istae notitiae - authenticae et publici valoris - reputantur omnes nostrae conclusiones erroneae et non rectae evadunt. Nos vero contendimus probare contrarium, scil. rectitudinem conclusionum nostrarum et falsitatem notarum libri defunctorum

³⁶ Archivum Vicariatus Urbis Romae, Parochia S. Francisci a Paola, liber defunctorum, vol. I, (an. 1632-1647), fol. 201.

parochiae S. Francisci di Paola. Et ibi stat totum problema huius laboris: cuinam debemus fidem praestare, Secretario Congregationis de Propaganda Fide, qui adhuc die 25 augusti Metropolitae Rutheno « pochi giorni » vitae concedit, aut Curato parochiae S. Francisci di Paola, qui jam die 18 augusti Metropolitanum totius Russiae in communione S. M. Ecclesiae animam Deo reddidisse contendit. Eadem conclusio et idem problema sequitur etiam de morte Joannis Dubowicz. Certe, stante etiam veritate notarum dicti Curati, dictus Joannes mortuus est « poco dopo » Metropolita Korsak, quia spatium saltem unius diei conservatur.

Notandum est has notitias aliquo modo intime coniunctas esse cum conditione testamenti Korsak et Dubowicz diebus 18 et 19 augusti. Et ibi invenitur alia gravis difficultas, cuius solutio credibilitatem notitiarum P. Angeli a Longobardis, Curati, in dubium vocat. Nam si testamenta haec spectantur, quorum unumquodque a septem saltem viris gravibus subscriptum fuit, adstante Notario publico, qui testificantur etiam dictos testatores (Dubowicz, Korsak) fuisse « sanos mente, sensu, loquela, visu et intellectu, licet aliquantulum morbo gravatos (Dubowicz), oppressos (Korsak),³⁷ tunc fieri non potest, ut hoc eodem die, quo testabantur, etiam e vita abierunt, apertura vero testamenti subsecuta esset tantummodo die 4 septembris. Comparata hac adnotatione cum aliis, mihi videtur, ex utraque notitia: ea Angeli a Longobardis, Curati, et illa Secretarii S. C. de Prop. Fide (de data 25.VIII), illa prima in dubio ponenda esse.

Si consideramus, quis nam fuerit Raphael Korsak, et quatenus eius persona ad S. C. de Propaganda Fide pertineret, tunc de facto res absurdissima esse videtur cogitare, septimo post mortem Metropolitae die Secretarium Congregationis de Propaganda Fide - Ingoli (1622-1649) - ad Nuntium Poloniae scripsisse « che per parer di medici non puo vivere se non per pochi giorni ».³⁸ Si Metropolita totius Russiae apud Sanctam Sedem mortuus est (quod omnino certum est), tunc, si non iam alii, saltem Secretarius Ingoli (Ruthenis tam addictus iam ab anno 1622) in funeralibus Metropolitae Korsak (quem iam ab anno 1622 ipse cognoscebat) partem habere debuit. Poteratne omnino fieri, ut a tali tristi solemnitate reversus, idem ipse Secretarius Ingoli talem epistolam ad Nuntium scribere posset? Habuit fortasse aliquam rationem, ut mortem Metropolitae per aliquot dies occultaret? Et qualem?

*

Hisce investigatis, res unica superest: si in hisce duobus casibus notitiae Fratris Angeli a Longobardis ad tantas absurditates

³⁷ APF, *Polonia, Russia*, vol. 338, fol. 324; ARCH. DELLO STATO, l. citato, fol. 811.

³⁸ ASV, *Nunz. di Polonia*, vol. 50, fol. 49.

ducunt, tunc revera fidelitas notitiarum illarum in dubio ponenda et simpliciter neganda est. Et tunc probabilitas nostrarum conclusionum stat immutabilis.

Potest tamen aliquis dicere conclusiones nostras etiamsi probabilissimas nullomodo vero pro certo esse habendas. Ut ad hoc certum redigamus, nobis inquirendus est ipse textus et scriptura adnotationum Fratris Angeli.

Modus scribendi in hoc libro defunctorum, inchoato die 17 novembris 1632, hic est: in paginae parte superiori ponitur annus et infra scribuntur menses et dies obitus singulorum defunctorum, ex. gr.: « eodem anno die 18 augusti... », vel « eodem anno die 19 augusti... ». Qui modus etiam quoad nostros defunctos observatus est, et hac ex parte nulla difficultas. Sed notandum, hisce duobus diebus, nempe 18 et 19 augusti, dari binas notitias obituarias, et in hisce notitiis secundariis « stylum » libri mutari, nam non iam scribitur « eodem anno die... », sed simpliciter « die 18 augusti »; et sequitur die 18 aug. notitia de obitu alicuius infantis Francisci, filii Joannis Ciombrone; item « die 19 augusti » obitus alicuius Catherinae filiae Augustini Petrucci da Rimini. Et ibi invenitur difficultas; cur ex improvise, et solummodo quoad nostros defunctos mutatur « stylus »? Cur non scribitur simpliciter « eodem die »? Res vere inexplicabilis ex ipso huius libri « stylo » et tamen in tam brevi notitia iam tertia insolubilis difficultas!

Sed etiam post hanc tertiam difficultatem, ex adnotatione Curati Angeli ortam, certitudinem nostrarum conclusionum nondum assecuti sumus, tamen earum probabilitas aucta est. Proinde adducamus argumentum quartum et ultimum, ipsam scripturam et atramentum.

Si consideratur nostra notitia sub aspectu palaeographico, etiam valde superficialiter, statim differentia coloris atramenti notari debet; si color ordinarius in his et vicinis paginis clarior et, ut ita dicam, debilis est, in nostris notitiis est obscurior et fortis. Simile atramentum hoc in libro occurrit probabiliter post diem 18 septembris eiusdem anni, vel certe post diem 14 decembris.³⁰ Inde concludimus, notitias nostras insertas fuisse tempore posteriore (post unum vel probabilius post tres menses), et proinde fuisse insertas in textum plenum, in textum cum determinata subsequencia mensium et dierum; abstrahimus a quaestione cul-pae ex parte dicti Curati.

Si revera nostri defuncti vixerunt et mortui sunt intra fines dictae parochiae, certe erat pro dicta parochia eventus incon-suetus. Moriebatur et sepeliebatur Metropolita longinquae Russiae, qui proinde etiam sua morte dictam parochiam honorabat. Talis

³⁰ Notandum, die 15.XII.1640, Romae factum esse Processum de vita, moribus et idoneitate successoris Korsak - Antonii Sielawa. - Mihi videtur in relatione cum hoc processu stare haec tarda inscriptio. Atramentum est idem cum die 14.XII.

eventus debuit in libro defunctorum certe notari modo speciali. Revera contigit aliquid omnino oppositum, ut infans unius anni habet meliorem et minutiorem notitiam, quam magnus ille Metropolitae. Cur? Propter insufficientiam spatii; et ita scripto titulo «eodem anno die 18 augusti», non incipit dictus curatus a nova linea, prout in aliis notitiis, sed statim in hac eadem linea scribit nomen et cognomen Metropolitae et alia. Hoc modo evenit, ut interpolatio textus luce clarius evasit. Idem valet de Joanne Dubowicz. Ideo pro certo dicere possumus, has adnotationes postea insertas esse, et proin maiorem partem valoris sui perdere in favorem nostrarum conclusionum.

*

Sed nunc oritur alia quaestio: si notitiae hae insertae fuerunt tempore posteriore, fueruntne tamen insertae in propriis locis, diebus correspondentibus morti Korsak et Dubowicz? Cur insertae sunt diebus subsequentibus? Num nostri egregii defuncti revera diebus subsequentibus ex vita excesserunt? En quaestiones materiae nostrae summi valoris!

Mea sententia, responsum ad has quaestiones dari potest, et quidem relative facile. Notamus imprimis: notitiae obitus sequentes in hoc «libro defunctorum» dentur tantummodo diebus 22 augusti et 1, 2 et 3 septembris. Imaginemur nunc hunc in modum: post tres menses necessarium evenit, ut inscribantur nomina nostrorum defunctorum in libro parochiali; (cur non fuerint inscripta prius nescimus; fortasse erat quaestio competentiae, quia erant Romae tantummodo hospites); et nunc liber iam scriptus fuit; ubi ponendi sunt illi defuncti? certe sub anno, mense et die respectivo; sed tamen deerat spatium! notitiae de obitu mense augusto in dicta parochia paucissimae erant; remanebat tantummodo aliquid spatii inter inscriptiones mensis et dierum et notitias ipsas; erat proinde possibilitas inserendi et has novas notitias (certe verbis paucissimis), sed quonam die? In considerationem veniebant dies 18, 19 et 22 augusti, et 1, 2 et 3 septembris. Dictus curatus nomina horum defunctorum inseruit diebus subsequentibus 18 et 19 augusti; estne haec subsequencia vera an fraudulenta?

Imaginemur duplicem casum: a) fraudis et b) simplicis inadvertentiae vel ignorantiae. Spectemus primum fraudis casum; tunc fieri poterat, ut dicti defuncti collocentur vel diebus subsequentibus, ut revera factum est, vel diebus discontinuis, ut in casu fraudis magis verisimile est; sed quia esset casus fraudis necessariae et factae a persona religiosa, proinde debemus admittere in hoc casu fraudem minorem, quae in nostro casu esset, si mors haec collocaretur diebus falsis, sed cum vero intervallo inter utramque; inde revera debemus etiam in casu fraudis concedere, Korsak et Dubowicz mortuos esse diebus subsequentibus. Videmus etiam, subsequentiam esse veram et correspondentem relationi Cardinalis

S. Crucis, quod Dubowicz mortuus est « poco dopo il Metropolita Raphael ».

Procedamus cum supradicto principio fraudis minimae ad quaestionem ulteriorem. Admissa nempe vera consequentia utriusque mortis, duo dies inveniendi erant, quibus interpolatio fieri poterat. Erant duae possibilitates: diebus 18 et 19 augusti (prout et factum est) et 1, 2 aut 3 septembris; minima fraus est in nostro casu, si veritas mensis conservatur et solummodo dies commutantur; et tunc unica possibilitas erat de facto dies 18 et 19 augusti, quod et factum est; quia tamen agitur de casu fraudis, non admittimus felicem casum correspondentiae utriusque mortis cum hisce in libro defunctorum iam praenotatis diebus; ideo sunt alii dies, et quidem, secundum principium minimae fraudis, erunt dies 28 et 29 augusti; hoc in casu Curatus dictus erat iuridice aliquomodo protectus, scribendo pro die 28 et 29 augusti diem 18 et 19 augusti; nam tunc differentia erat solummodo inter numeros 1 vel 2, qui numeri hisce temporibus modo valde simili scribuntur,⁴⁰ ita ut praesertim puncto numero 1 supraposito differunt; ergo in casu necessitatis et responsabilitatis pro fraude, Curatus sese excusare potuit, se male schedulam ei missam legisse; concludamus ergo: casus fraudis nostras conclusiones ex aliis praemissis deductas comprobat.

Etiam in secundo casu, nempe simplicis inadvertentiae vel ignorantiae, nostrae conclusiones omnino comprobantur. Imaginemur nostrum Curatum intentionem habuisse optimam, nostros defunctos sub data vera collocare; in obtenta schedula, ubi nomina, tituli et dies mortis defunctorum nostrorum notata fuerunt (admittimus schedulam propter nomina recte scripta, quod non est capacitatis philologicae nostri Curati), dies 28 et 29 ita scripti fuerunt, ut a cive Romano uti 18 et 19 legi potuerunt, vel quia numeri hi: 1 et 2 scripti fuerunt ab aliquo Polono vel Rutheno e hospitio SS. Sergii et Bacchi, et proinde aliam formam habuerunt, vel scripti fuerunt modo Romano cum magna tamen negligentia; obtenta tali scriptura, et inspecto libro defunctorum mensis augusti, Curatus sub influxu imaginis visualis folii 201 schedulam dictam cum suis numeris pro die 18 et 19 augusti lexisse et laetus hac felici coincidentia inscriptiones atramento prae manibus habito fecit. Cum bona conscientia nihil de atramenti differentia curabat. Et hic casus nobis magis arridet et simplicitati Fratrum Minorum magis correspondet.

Ergo in uno vel alio casu positio horum duorum defunctorum diebus subsequentibus omnino veritati correspondere videtur. Si

⁴⁰ Revera ex gr. in « *Rubricella* » ARCHIVII NATARIORUM (anno 1636-1644) numeri 1 et 2 fere omnino similes sunt, si prima vice et obiter spectantur. Ipse revera deceptus fui per aliqua momenta quando invisi nostros defunctos in dicta « *Rubricella* ». Ipse clamavi primo instanti: heureka!

tamen non abierunt ex vita diebus 18 et 19 augusti, propter argumenta superius adducta, neque diebus 18 et 19 septembris, propter publicationem testamenti Korsak et Dubowicz, iam die 4 septembris habitam, tunc unice id die 28 et 29 augusti contingisse potuit, propter rationes ex notitia « libri defunctorum Parochiae S. Francisci di Paola » deductas. Et haec est conclusio probabilissima nostri laboris.

Cum certitudine nempe, quae historiographiae propria est, possumus affirmare: Metropolitam Raphaelem Korsak, apud Sanctam Sedem durante sua « visitatione liminum Apostolorum », post unius anni in Urbe commorationem,⁴¹ apud ecclesiam SS. Sergii et Bacchi, die 28 augusti anni 1640 ex vita excessisse, aetatis suae anno quadragesimo (1601-1640).⁴²

⁴¹ Cfr. ARCHIVUM COLLEGI GRAECI IN URBE, vol. 14; HUMBOLDT z POLOCKA, *Rafal Korsak, Metropolita Rusi*, in « Przegląd historyczny », vol. III (1906), pp. 351-374, vol. IV (1907) pp. 37-62. *Opisanije dokumentov archiva zapadnorusskich uniatskich mytropolitov*, vol. I, (1470-1700), St. Petersburg 1897; p. 260, Nr. 707 refert de testamento Korsak, exarato lingua latina et italiana anno 1640 in Italia, Romae, subscriptum a multis nobilibus Polonicis et subscriptum et publicatum a notario Angelo Caninio (prout et testamentum Joannis Dubowicz).

